F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORVM

AD

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESV THEOLOGVM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia

EPISTOLAE.

ROMAE, MDCCLIV.

Apud Haeredes Jo: Laurentii Barbiellini.

SVPERIORVM FACVLTATE.

NOS FR. ANTONINUS BREMOND

Sac. Theol. Professor, ac totius Ord. FF. Praed. humilis Mag. Generalis, & Servus.

HArum serie, Nostrique auctoritate Officii, quantum in Nobis est, facultatem concedimus A. R. P. Magistro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Nostrae Romane Cathedratico, Casanatensi typis edendi opus ab ipso elaboratum, cui titulus: ***ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, & diligentia Epistolae.*** Dummodo a duobus RR. PP. Nostri Ordinis Sacrae Theologiae Professoribus praelo dignum judicetur, & serventur cetera de jure servanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Nostro S. M. S. M. die 15. mensis Septembris 1753.

Fr. Antoninus Bremond
Magister Ordinis.

Reg. pag. 4.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta
Mag. & Socius.

APPROBATIONES.

JUssu Reverendissimi Patris Fr. Antonini Bremond totius Ordinis Praedicatorum Magistri Generalis legimus Librum, cui titulus est: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Casanatensis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis discribendisque Casuistarum locis summa fide, & diligentia Epistolae*. In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, bonisque moribus adversetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In qnorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Miriae supra Minervam die 17. Septembris 1753.

Fr. Joannes Dominicus Villavecchia Ord. Praed. Magister, & Socius.

Fr. Alexander de Pretis Ord. Praed. Magister Studentium.

DE mandato Reverendiss. Patris Josephi Augustini Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Casanatensis Ord. Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum, de Danielis Concinae in indicandis discribendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia Epistolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret, quantum mea

mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo. Datum Romae die 16. Septembris 1753.

D. Gabriel Maria de Blaſi Prior Congregationis Caſinenſis, Sacrae Theologiae Lector, ac Congregationis Sacrorum Rituum Crnſultor.

J. M. J.

JUſſu Reverendiſſ. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Pred. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincetii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*, in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 16. Septembris 1753.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualiſicator.

IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Patriar. Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendissimi Patris Mag. Sac. Pal. Apost. Socius.

FR.

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

X X X V I I.

P*Ergit Dinellius Nocetii in Concinam criminationes depellere. Ac primum, non aequum ait Nocetium facere, qui quae in suis non reprehendit, ea Concinae vitio dari velit.* XXXVIII. *Quod enim de male reprehenso ob laudatam Sylvestri Fumique sententiam Cardenam Concinam Nocetius accusat, id ad aliosetiam Casuistas pertinere.* XXXIX. *Sylvestri enim, Fumique sententiam vel ab ipso Sanchesio, quem plurimi Nocetius facit, atque a Salmanticensibus, ita fuisse laudatam, quemadmodum ab Concina; non autem ut a Cardena. Quin etiam Cardenam ipsum Concinae favere. Itaque aut Concinam absolvendum, aut cum Concina Sanchesium etiam, & Salmanticenses, Cardenamque ipsos* imposturae *esse damnandos.* XL. *Esse autem indignum ingenuo, & liberali homine, suos tueri, alienos contra infe-*

ctari, quando eadem est utrorumque caussa. XLI. *Quod vero Nocetius opponit, id Concinam contendere, ut libros Jesuitarum e manibus Christianorum tollat, esse eam suspicionem inanem, & falsam. Quae res veterum Ecclesiae Patrum exemplis, ipsaque omnino ratione demonstratur.* XLII. *Facere enim injuriam Nocetium Jesuitis, quum, quae de Probabilistis scripsit Concina, ea ad Jesuitas detorqueat; quasi sint Jesuitae omnes addicti Probabilismo, neque nisi morum scientiam Jesuitae umquam tractarint. Sed ne Probabilistis quidem ipsis tam esse infensum Concinam, quam Nocetius suspicatur.* XLIII. *Redit porro Dinellius ad Sylvestrum, & Fumum, horumque descriptis locis, ita esse comparatam sententiam ostendit, quemadmodum relata est a Concina in Moralem Theologiam.* XLIV. *Haec cum ita sint, Nocetii criminationem non solum falsam, sed etiam ineptam esse demonstrat: eademque non minus, quam Concinam, Sanchesium etiam & Salmanticenses. Cardenamque ipsum affici. Tum de postremis Sylvestri verbis quid sit sentiendum docet.* XLV. *Inter Concinam, & Nocetium hoc interesse: quod Nocetio brevissima Sylvestri, & Fumi sententia favet tribus verbis comprehensa; Concinae contra tota eorumdem, quanta est, disputatio. Denique nonnihil de se adscribit; neque admodum se laboraturum de Dominicanis dicit, quos constiterit fuisse in errore versatos.* XLVI. *Respondet de Castropalao, hujusque similem esse caussam docet, ac Cardenae. Castropalaum enim ita fuisse citatum a Concina, quemadmodum antea Salmanticenses fecerant.* XLVII. *Sanchesii autem, quem Castropalaus auctorem secutus est, thesim ita esse propositam, quemadmodum ex Castropalao proposuit Concina.*

Esse

Esse autem verissimum, quod scripsit Concina, Castropalaum cum Sanchesio in thesi explicanda pugnare. Nocetium vero, qui componere utriusque sententias voluerit, perturbasse, ac miscuisse ea, quae omnino ad aliam caussam pertinerent. XLVIII. *Rursus de Castropalao, itemque de Sanchesio Dinellius Nocetio respondet. Docet autem importunam fuisse Castropalai, & Sanchesii defensionem eo in loco, quo loco unum Leandrum Concina reprehenderat. Sed quando, ut de iis etiam dicatur, Nocetio placet, ostendit Dinellius unam, eamdemque illis cum Leandro fuisse sententiam de juramento, quod negavit Nocetius.* XLIX. *Quod si discrimen aliquod intercedat inter Leandrum, & Sanchesium, in eo futurum, quod Sanchesii gravius erratum fuerit, quam Leandri.* L. *Nam Castropalaum quidem prorsus cum Leandro sentire, idque jam plane esse perspicuum; ac Nocetium ipsum tria in Castropalao defendendo peccasse.* LI. *De Coninkio, & Viva Dinellius dicere instituit, quorum de* Sacramento Confirmationis *sententiam non recte fuisse a Concina laudatam, questus Nocetius fuit. Descriptis autem, collatisque eorum locis, quid sit de tota re sentiendum, docet.* LII. *Ostendit praeterea Coninkium & Vivam, in auctoribus citandis sententiae suae, pugnare inter se, atque admodum perturbate agere. Ignoscere autem Nocetio se dicit, quod is aegre tulerit, auctorum quorumdam de eo* Sacramento *opinationem* laxam *appellari ab Concina. Denique demonstrat pervertisse Nocetium Concinae verba nonnulla, alioque detorsisse, atque ab eo scripta fuerant.* LIII. *Pergit porro ad La-Croixium; & injuria Nocetium de iis rebus expostulare dicit, de quibus jampridem Concina satisfecerit. Ne-*

Neque eo secius nihil La-Croixio profici; cujus laxam, *absurdamque sententiam Nocetius, diminuto La-Croixii ejusdem loco, occultare voluisse videtur.* LIV. *Iterum de La-Croixio; quocum Moyam etiam, & Gobatum Nocetius* conjungit. *Sic autem Dinellius agit: Inepte, quod a Concina de Probabilismo dictum est, id ad peculiarem Leandri de* castitatis voto *sententiam trahi; esseque ita comparatam Concinae scriptionem, plane ut perspicuum sit, non fuisse ab eo conjunctos cum Leandro tres illos Jesuitas, ita ut Nocetius non vere affirmat.* LV. *Tertiam Nocetii in Concinam criminationem de vitiato La-Croixio depellit; eamque levissimam esse, atque inanem ostendit.* LVI. *Quartam de eodem La-Croixio expostulationem ita refellit, ut evincat Nocetium non reprehendere quidem vitium ullum in Concina, sed culpam Concinae immerito affingere.* LVII. *Quintum de La-Croixio. Concinam tam esse aperte locutum docet, ut nullus Nocetio relinqueretur de Concinae fide suspicandi locus.* LVIII. *Atque esse sextam etiam de eodem La-Croixio accusationem quintae similem.* LIX. *Nam distinctionem inter sententias* practice, *aut* speculative *probabiles, qua probabilistae abutuntur, non minuere absurditatem, pravitatemque* laxarum *opinionum.* LX. *Ac La-Croixium quidem ipsum tam confuse, tamque implicate loqui, ut ferme excusari non possit.* LXI. *Sed etiamsi excusari aliquo modo La-Croixius posset; nihilominus iniquam perpetuo futuram* imposturae *accusationem in Concinam a Nocetio jactatam.* LXII. *Aliam praeterea calumniam La-Croixio ab Concina impactam fuisse Nocetius doluit* cap. xcv. *Ejus querelas, atque argumenta Dinellius refellit.* LXIII. *Demonstrat, quantum inter*

inter La-Croixium & S. Thomam interſit, quem ille auctorem & patronum laudat ſententiae ſuae. LXIV. *Addit praeterea Dinellius, inſignem Sancto Thomae injuriam ab La-Croixio eſſe factam; eſſeque in eadem cauſſa ipſum etiam Nocetium.* LXV. *Reliquas* cap. xcv. *accuſationes rejicit.* LXVI. *Poſtremam de vitiato La-Croixio Nocetii criminationem, deſcriptis Concinae, & Nocetii ipſius locis, Dinellius refutare inſtituit.* LXVII. *Nocetium non recte Concinae locum, quo loco La-Croixius reprehenditur, fuiſſe interpretatum oſtendit.* LXVIII. *Reprehendit etiam Nocetium ob eam cauſſam, quod promiſſis non ſteterit; & pro Concinae apertis, manifeſtiſque* impoſturis, *quas ſe demonſtraturum promiſerat, non rectam ſuam ipſe vocabulorum interpretationem obtundat.* LXIX. *Reliqua Nocetii argumenta, quibus poſtrema de La-Croixio accuſatio continetur, Dinellius perſequitur.* LXX. *Nonnulla, quae eidem criminationi Nocetius addidit, quoniam ad* impoſturae *vitium non pertinent, ea ſe ait praetermittere; quidque de Concinae in Caſuiſtis citandis diligentia exiſtimandum ſit, docet; finemque Epiſtolae facit.*

FR. VINCENTIUS MARIA
DINELLIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM

CAROLO NOCETIO
SOCIETATIS JESU

S. P. D.

XXXVII.

EGO vero, Noceti, nisi quae Casuistae in describendis, indicandisve doctorum virorum opinionibus peccarint, quaeque tute in *imposturis*, quas dicis, Concinae refellendis turbaveris, non cognoscem modo, sed etiam demonstrassem, facile quidem abs te nostrum hunc Theologum accusari calumniae paterer, si quibus in locis aut impugnare quemquam,

aut

aut ab invidia liberare conatus eſt, in errorem imprudens, nihilque tale ſuſpicans incidiſſet. Sed quum multorum, imprimiſque Patuzii opera, Vivae, Gagnae, aliorumque plurimorum libros plenos eſſe falſarum, quas vocant, *citationum* conſtiterit; tuque ipſe tibi ſis conſcius, fuiſse te eodem in genere adeo indiligentem, ut nihil fere accurati verique libello illo tuo contineatur; cumque te nihiloſecius pergere, ac levia quaedam, quae Concinae, tuorumque eſsent communia, conſectari, lectoribuſque, prætermiſſis tuorum nominibus, quaſi graviſſima eſsent, proponere viderem, ita equidem ſum commotus, ut id nullo eſse modo ferendum exiſtimarem. Nam iniquum mihi crede, atque intolerabile eſt, te tuorum partibus ita ſtudere, ut eos, ſi lapſi fuerint, non excuſandos ſolum, ſed etiam celebrandos putes, ne quid eſse de illorum exiſtimatione dereptum videatur; noſtrum autem impoſturae calumniaeque condemnandum eſse defendas. Quamobrem utar meo jure, atque ita Concinae cauſam tertiis hiſce litteris agam, ut facile quiſque intelligat, ea te fide illi uni tribuiſse, quae communia tuorum eſsent, qua illum ipſum dicebas fuiſse

fuisse in perscribenda morali Theologia versatum.

XXXVIII. Igitur animum adverte. Meministin', qua confidentia, cum *Casuistarum* aliquos dolo, calumniaque fuisse ab Concina accusatos more quidem tuo dixisses, ad Cardenam demum accesseris, atque hanc esse volueris inscriptionem capitis tricesimi secundi libelli tui: *Vindicatur ab injusta criminatione P. Cardenas?* Quaero, quid tunc esset in controversia positum? Jure ne, inquis, an injuria reprehensus ab Concina Cardenas fuerit, propterea quod Sylvestrum, Fumumque Dominicanos in ea fuisse opinione affirmarit, ut arbitrarentur, reum legitime ab Judice interrogatum, graviter non peccare, si crimen ab se perpetratum confiteri nolit. Recita sententiam Concinae T. IV. p. 31. „ Contrariam sententiam propugnant non pauci ex recentioribus .... „ Cardenas dissert. XIX. cap. VII. hanc opinionem defendit; & pro eadem adducit „ Sylvestrum, & Armillam. Hi duo auctores *Verb. Accusat.* locis supracitatis „ n. 2 conceptis verbis docent, peccare „ mortaliter reum non confitentem veritatem Judici legitime interroganti, „ quam-

De Cardena.

„ quamquam plectendus sit ob crimen
„ confessum, poena mortis..... Hinc
„ collige quantum sit istorum auctorum
„ citationibus fidendum „. Quid tu ad haec? Recte, inquis, Cardenas utrumque illum Scriptorem sibi praesidio esse putavit. Nam illi, ubi fas non esse reo, si ab Judice legitime interrogetur, crimen negare, aut non fateri, decrerunt, hoc statim addendum existimarunt: *Et hoc verum, quando agitur ad poenam spiritualem, non aliam*. Quare cum capitis, aliamve corporis poenam exceperint, argumento est, non fuisse ab illis ipsis impositam reo necessitatem confitendi crimen, nisi tunc solum, cum *spiritualis* poena culpam sequitur. Hinc tu igitur, extorquere te ab Lectoribus putas posse, ut injuste reprehensum a Concina Cardenam fuisse concedant. Sed cave, ne quam illi conflare studes, eadem in tuos invidia recidat. Si enim ob eam rem injustus criminator, si impostor, si calumniator est Concina, quid de iis Theologis statuendum censes, qui cum Sylvestrum, Fumumque ab ea, quam tu velles, opinione alienos fuisse affirmarint, ita sunt loquuti, ut ex eorum verbis sit consequens, Domi-

nica-

nicanos illos duos non Cardenae fuisse, sed Concinae consentientes? Nempe aut ignoscendum Concinae erit, aut si impostor hic est, erunt illi quoque in impostoribus numerandi. Atque sic habeto; reperturum te neminem, qui cum plures idem omnino dixisse videat, tum unum horum, qui postremus dixit, ob id dictum injustae criminationis, atque imposturae condemnandum; ceteros autem, qui huic praeiverint, commendandos, atque ita suspiciendos putet, ut eorum existimationem laedi, contemnique libros indigne ferat. Quare horum est alterutrum concedendum tibi: aut Casuistam nullum fuisse, qui, quod Concina scribit, Sylvestro, Fumoque ante tribuerit, aut, si qui fuerunt, hos vel tam fuisse, quam esse arbitraris Concinam, impostores; vel si culpa vacent, non magis esse, quam sit Concina, excusandos. Utrumvis delige. Sed vide ne implicere.

XXXIX. Quid igitur? Negas ne fuisse Casuistas ullos, qui Sylvestrum, Fumumque ab sententia, quam illis adscribit Cardenas, distasse contenderent? Attende nunc jam. Sanchesius, quem tanti facis, ut cum nulla in re a quoquam no-

ſtrum negligentiae argui patiare, Conſilior. lib. VI. c. III. dub. XXIX. n. IV. p. 175.
„ Sit tamen, inquit, Concluſio contra
„ has ſententias: Quotieſcunque Judex
„ juridice interrogat reum de proprio de-
„ licto tenetur reus fateri veritatem....
„ Ita tenent D Thom. 2.2. q. 69. art. 1....
„ Armill. n. 22...., Aſſentiuntur Salmanticenſes Tract. XXIX. in Append. cap. VII. Punct. IV. n. III. p. 402. „ Sententia com-
„ munis & probabilior docet, teneri ſem-
„ per reum a Judice legitime interroga-
„ tum fateri veritatem & factum illi ma-
„ nifeſtare, etiam ſi reus manifeſtata veri-
„ tate damnandus eſset ad mortem. Iſtam
„ ſententiam tuentur D. Thomas, Sotus,
„ Cajetanus, Candidus... Sylveſter ver-
„ bo accuſ. quaeſt. 13. „ Quid? ſi idem ille Cardenas, cujus tu nunc agis patronus cauſsam, Diſp. XIX. c. VII. n. 78. Fumum eam opinionem probaſse ſcribat? „ Non
„ pauci, inquit, ſunt Doctores, qui ſtant
„ pro affirmativa ſententia, Thomas, En-
„ ricus, Gabriel.... Armilla „. Teneo quid poſſis opponere. Nihil te, quae Sancheſius, quae Salmanticenſes, quae Cardenas turbent, morari; hoc tibi unum eſse propoſitum, Concinam impoſturae convincere.

vincere. Ita ne est? At ego, mi Noceti, eorum, quorum par error est, parem esse conditionem oportere defendo. Quamobrem aut quos nominavi omnes impostores fuisse fateare necesse est, aut nullum. Quod si perstas, caussam indica, cur ceteros esse absolvendos, Concinam vero damnandum constituas. Hoc age, nisi enim feceris, ad alia te genera accusationum descendere nunquam patiar.

XL. Esse igitur dices aliorum caussam a Concinae causa discrepantem. Nam Sanchesium, Salmanticenses, Cardenam errasse quidem, quin ullum probabilistis attulerint detrimentum; Concinam autem scribendo id assequi, quod in animum induxerat, curasse, ut libri probabilistarum, quorum magna semper existimatio fuerat, e manibus omnium tollerentur. Sed quem tu, mi Noceti, esse hominem tam ineptum putas, qui cum hoc esse in quaestione videat, male ne Theologi quidam aliorum dicta descripserint, impostoresque sint appellandi, tum hoc uno nomine esse aliquem illorum impostorem censeat, quod probabilistas vocarit in *laxitatis* suspicionem, reliquos autem, qui perinde errarint, non item? Atque

est id, mihi crede, eorum proprium, qui suis partibus student, non veritati. Qui enim amore tenetur veri, neque detrimento errorem, neque veritatem sua utilitate metitur. Quare si vera inimicos, falsa amicos scripsisse cognoverit, non minus castigari amicorum erratum feret, quam laudari studium, diligentiamque inimicorum. Quod si eodem in vitio amicos, inimicosve esse deprehenderit, omnes coarguens nominabit, non unum, praetermissis consulto ceteris, insectabitur. Tu contra, eos qui multum, qui saepe, qui graviter, cum libros de moribus scriberent, peccarunt, quoniam societate tibi conjuncti fuerant, errasse, aegre sane, at aliquando saltem vi coactus argumentorum, concedis; commemorari autem refellique eorum errata non modo non concedis, sed ne ferri quidem aequo animo posse arbitraris. Itaque si quem esse virum intelligas sapientem, & amantem veri, qui Christianos, sibi ut caveant ab eorum dictis, quae cum recta morum institutione pugnant, hortetur; hunc, etsi vera persaepe dicat, perraro autem in levissimis quibusdam rebus, inque voculis, virgulisque describendis no-

nolens hallucinetur, hunc, inquam, impoſtorem calumniatoremque vocas. Quare eſt illud ex tua iſta diſputandi ratione conſequens; ut qui lapſi in tractanda morum Theologia ſint, legendi, inque honore habendi: qui vero prolapſiones eorum mortalibus *charitatis* cauſſa, ne ſe implicari ſinant, indicarit, is repellendus, contemnendusque eſſe videatur. Hoc cum ſemel ſcribam, toties a me ſcriptum putato, quoties iſto genere uteris reſponſionum.

XLI. Sed quod dicis, id eſse in animo Concinae, ut libros Jeſuitarum, qui maximi pendi ſolerent, e manibus tollat orthodoxorum, quale tandem eſt? Tu ne igitur, qui quae ſub oculos cadunt, non videas; videbis quae latent in animo? Eſt id, Noceti, difficile, ut qui te Tamburini, Sancheſii, Vaſqueſii, &c. opera legentem, quae iis diſtincte continerentur, non animadvertiſse ſciant, iidem credant, eſse tibi, quae quiſquam noſtrum cogitet, explorata. At actum id paſſim, dices, fuiſse ab Concina. Nam qui Amici, qui La-Croixii, qui Bauni, &c. *laxitates* numerat, niſi hoc velit, ut libros eorum de manibus mortales de-

ponant, quid ſibi velit, ne ſuſpicari quidem poſsumus. Quod ſi veritatem ille inveſtigaret; errorem profecto refelleret, errantium vero nomina libenter tacitus praetermitteret, ne creare cuiquam invidiam velle exiſtimaretur. At ego etſi maxime, mi Noceti, cuperem, extorquere tamen a me ipſo, tibi ut aſsentiar, nequirem. Nam Auguſtinum ne, qui libros edidit *retractationum*, quibuſque in locis lapſus errore fuiſset ſcripſit, id habuiſse defendes in animo, ut homines a ſuis operibus legendis deterreret? Quid? Sanctus Thomas Aquinas, qui alicubi exceſſiſse affirmat Chryſoſtomum, ita ne fuit inſtitutus, ut exterminanda ſanctiſſimi Epiſcopi opera ex Eccleſia eſse arbitraretur? Quid? Vaſqueſius, qui ipſum Chrysoſtomum in decretis de *Viſione Dei*, deque *gratia Chriſti* explicandis erraſse ſtatuit, an hoc voluit, ut ejuſdem Doctoris *Homiliae* a nemine legerentur? Nova haec eſt ratio, mihi crede. Non enim datum id vitio unquam majoribus noſtris eſt; proterea quod indicare libros, auctoreſque ſolerent, quorum opiniones averſarentur. Atque, ut ceteros, qui pene ſunt innumerabiles, praetermittam

Quis

Quis Athanasium, quod Eusebium Caesariensem, quis Hieronymum, quod Joannem Hierosolymitanum, quod Rufinum, quod ipsum Joannem Chrysostomum; quis Prosperum, quod Collatorem Cassianum & Vincentium nominans confutasset, ob eam causam reprehendit? Scilicet indicandi sunt libri, quibus errores contineantur, ne qui legunt, cum nihil tale suspicentur, sese circumveniri, & capi sinant. Indicatis autem libris, ut una eorum auctores non indicentur, omnino fieri non potest. Qui enim oscitans neque animadvertens errorem confirmat, pubblicatque, repellendus pubblice est, ne, cum uni amoris, honoris, servandorumque illius librorum causa, ignoscimus, ceteris detrimento, ac damno simus. Ac ridiculus sane esset is, qui insidias alicubi cuiquam instructas sciens, ne quid contra legem *charitatis*, si locum indicaret, ageret, illi, qui in vitae periculum vocetur, quid insidiae sint, quotque genera insidiarum, a quibus sit homini cavendum exponeret; ubi autem paratae misero sint insidiae non exponeret: immo vero violaret is praecepta, quae sunt a Christo lata *de charitate*, si locum

reticens, ne insidiantes noscantur, circumveniri incautum pateretur. Quare si Concina docuit quibus in libris errores, qui hominum animis noceant, contineantur, non odio in scriptores, neque malevolentia, sed *charitate* erga *proximos* permotus docuit.

XLII. At Concina, dices, id se eniti ac laborare fatetur, ut nequi posthac libris probabilistarum utantur. Permitto id quidem tibi. Quid tum? An idcirco ille Jesuitarum libros e manibus hominum tollere conatur? Nollem ego Societati abs te, mi Noceti fieri tam insignem injuriam. Non enim his tam angustis finibus doctrina continetur Jesuitarum, ut magnum eorum numerum reperire non liceat, qui vel probabilismum confutarint, vel, omissa disciplina morum, ita in facultatibus ceteris versati sint, ut Christianae Reipublicae magnam attulerint utilitatem. Quamobrem si consequutus fuisset Concina quod avebat, nihil nocuisset Societati, & Paroecis, Christianisque ceteris prospexisset. Atque hoc etiam restabat, ut qui sistema *probabilisticum* fontem esse, ex quo tot *laxitatum* errores, quot ne numerare quidem

dem possumus, manarint, censeret, idem teri omnium manibus libros optaret, quibus probabilismus confirmaretur. Quamquam ne illud quidem concedendum est, tam esse Concinam Probabilistarum inimicum, ut omnes rejiciendos putet, laudandum neminem. Cardenas ecce, de quo ista nunc est inter nos altercatio, ab eo magnopere commendatur. Recita Sententiam Concinae: „ P. Joannes Cardenas, „ *inquit*, To.9 pag. 54. Probabilista meo „ judicio doctissimus, qui probabilismum „ adeo coercuit, & restrinxit, ut in praxi „ communiter saniori doctrinae adhaereat, Caramuelem strenue exagitat, & „ laxiores opiniones profligat. Probabilistarum legi neminem, qui in tam ar- „ cta confinia probabilismum revocave- „ rit. Probabilismum Cardenas specula- „ tive defendit, anticipationibus, quae „ nobis intimae sunt, praeventus; cete- „ rum in praxi, probabilismo rejecto, ut „ plurimum nobiscum sentit. Haec dixi „ in justam perdocti viri laudem, ut ve- „ ritati litem; & ut à partium studio me „ immunem esse patefaciam. „ Itane ille de probabilista locutus esset, si omnium esse probabilistarum libros tollendos, ex-

que

que Christiana Republica exterminandos putasset? Quo magis miror, te, qui Concinam ne Dominicanis quidem iis, qui ad probabilistas defecerant, parcere videres, saepeque ex ejus libris quanti Societatem faciat, quantumque gravissimis ejus instituti Theologis tribuendum putet, cognosceres; legeresque, eum non odio in quemquam, neque malevolentia, sed veritatis amore permotum adjunxisse animum ad perpoliendam morum Theologiam, haec omnia aut dissimulasse, aut fraude, doloque dicta existimasse, eaque tibi vera esse persuasisse, quae si cogitasset, cum abdita in mente illius sint, nisi aut scripto, aut voce, aut nutibus exprimantur, cognita esse homini nullo modo possunt.

XLIII. Jam cognoscis, opinor, te, etsi maxime cupias, cum tamen res comparatae ita, ut diximus, sint, esse in hoc genere causse Concinae accusatorem non posse. Sed fac possis; quibus tandem argumentis efficies, poni eum in impostorum numero oportere, qui reprehenderit Cardenam, ac si is neque recte descripserit, neque intellexerit Silvestri ac Fumi Dominicanorum de reo sententiam? Sylvester

vester enim V. Inquisit. §. 7. qui putat, reum legitime a Judice interogatum neque negare, neque tacere crimen posse, quin peccet, adjungit ne T., *& hoc verum &c.* Immo vero scribit ille hoc modo. „ Inqui-„ situs an teneatur de omnibus responde-„ re veritatem ? Pet. de Pal. in 4. dist.19. „ dicit quod sic, tam de se, quam de „ alio, quando certum est, Judicem in-„ quirere in caussa, in qua de jure potest „ quia mentiri in judicio est mortale. „ Quid Fumus ? Qui, cum de hoc ipso *casu*, quem vocant, ageret, nihil esse addendum existimavit, unde quisquam assequi conjectura posset, non peccare reum, qui crimen aut taceat aut neget si prospiciat, poena se corporis esse plectendum; Recita sententiam Fumi: V. Accus. n. 22. „ Accasatus negans veritatem, quae ab „ eo secundum formam juris exigitur, „ peccat mortaliter, quia contra justitiae „ debitum est, ut quis non obediat suo „ superiori. Et ideo si negat; vel occul-„ tat veritatem, quam fateri tenetur, „ mortaliter peccat..... Ex Tho. 2.2. „ q. 69. art. 1. „

Sed nequid dissimulare videar, age consideremus ea ipsa Sylvestri & Armillae lo-

ca, in quibus esse constitutum Cardenae praesidium arbitrare. Silvester V. Accus. §. 13. „ Utrum peccet mortaliter accu-
„ satus negando veritatem in judicio.
„ Et dicit S. Thom. 2. 2. q. LXIX. art. 1.
„ quod tenetur judici exponere verita-
„ tem, quam exigit ab eo secundum for-
„ mam juris de quo J. confessio criminis.
„ Et ideo mortaliter peccat nolendo con-
„ fiteri aut mendaciter negando. Si ve-
„ ro judex exquirat, quod non potest se-
„ cundum ordinem juris non tenetur ei
„ accusatus respondere, sed potest per
„ appellationem, vel aliter licite subter-
„ fugere, mendacium tamen dicere non
„ licet. Haec ex illo. Sed intellige, quod
„ in primo casu, quando judex juridice
„ procedit, tale mendacium non ideo est
„ mortale, quia mendacium in judicio,
„ alioquìn ipsum tacere, vel non confite-
„ ri non esset mortale, sed ideo, quia
„ contra debitum justitiae. „

Eadem a Fumo scripta reperio V. Confessio judici. §.8. „ Si jndex procedat per
„ inquisitionem ex mero officio suo tene-
„ tur reus respondere veritatem sub pec-
„ cato mortali, si factum est notorium, vel
„ infamia flagrat, vel semiplene proba-
„ tum

„ tum est secundum Th.2.2.qu.69. a.1.„
Ex his autem argumentis, quae uterque accepit a Thoma, nonne est consequens, reum non modo si poena *spirituali*, sed etiam si *corporali* sit afficiendus, si legitime ab judice interrogetur, non tacere neque negare, sed confiteri debere culpam? Non negabis tu quidem. Id enim qui neget, haud intelligo, cur non idem rem quamque manifestam negare possit.

XLIV. Tuam nunc, Noceti, fidem appello. Eum, qui Sylvestrum & Fumum in prioribus illis duobus locis ne poenam quidem corporis excepisse viderit, postque in loca illa, in quibus describuntur argumenta Thomae inciderit, animadverteritque, his ipsis argumentis demonstrari, reum legitime interrogatum debere fateri crimen, etiamsi poenam se corporis laturum sciat, quid putas de Sylvestri, Fumique sententia judicaturum? Statuet ille profecto, te quoque judice, ita eos adhaesisse Thomae, ut cum iisdem rationibus usi fuerint, eamdem fuerint, nulla conditione, exceptioneve adjuncta, sequuti sententiam. Quare ut oculos in librum conjecit, consistet, quin contra dialecticae leges, homines, qui diu logi-

logicis dedissent operam, conclusisse quidpiam suspicetur. Quae cum ita sint, quid est, Noceti, quod Concinam esse jactites impostorem, qui, cum haec in Sylvestri, Fumique libris viderit, cognoveritque quid consequens ex eorum argumentis esset, in ea illos fuisse judicarit, scripseritque opinione, quae S Thomae Doctori Ecclesiae gravissimo probaretur? Nam pervertisse eos praecepta dialecticorum, idque demum tribus fere verbis affirmasse, quod cum ratione, qua essent usi, pugnaret, suspicari qui tandem poterat? At legere, in quis, extrema etiam verba debuit. Quid igitur? Impostoremne dices, aut injustum accusatorem eum, qui recte ratione usus, nihil suspicans in extremo paragrapho inesse mali, Sylvestrumque defendens ac Fumum, hallucinatus sit. Cur Sanchesium? Cur Salmanticenses? Cur Cardenam? qui perinde, ut paulo ante vidimus, eodem in genere errarunt, pari contumelia non insectare? Equidem quibus modis excusari hos posse, quod extrema verba non consideraverint, existimas; iisdem ego excusandum esse nostrum defendam.

Atque Sylvestrum oscitantem lapsum erro-

errore fuisse facile mihi persuadeo. Cum enim poenam corporis excipi à Panormitano legisset, neque animadvertisset de reo ne legitime ab judice interrogato, an de eo, quo cum judex ageret, ut loqui solent *ad instantiam partis*, dissereret, id demum tanti Scriptoris auctoritate permotus adjunxit, quod cum argumentis acceptis a Thoma componi nullo modo potest. Scribit autem Panormitanus hoc modo:
„ Ex omnibus praedictis elicio duas con-
„ clusiones. Prima sit. Si providetur per
„ inquisitionem ex mero judicis officio,
„ tenetur inquisitus respondere positioni
„ criminosae, si id, de quo quaeritur, est
„ notorium, seu famosum; alias secus.
„ Secunda Conclusio: ad instantiam par-
„ tis necessario est respondendum positio-
„ ni criminosae, si id, de quo quaeritur,
„ sit famosum, & impediat ordinis exe-
„ cutionem, seu beneficii retentionem,
„ de quo agitur, nec venit imponenda
„ poena temporalis. „ Hoc vero torqueri transferrique in reum legitime interrogatum, ponique in extremo illo paragrapho a Sylvestro potuisse, cum Concina ne veri quidem esse simile videret, excusari quidem debet, accusari autem impo-

imposture sine gravi injuria nullo modo.

XLV. Sed ut tecum liberaliter agam, concedam lectam ab Concina fuisse prostremam illam Sylvestri, Fumique Sententiam. At, ea una, quae tribus fere verbis absolvitur, tibi suffragatur; cetera, quae fuse sane, copioseque disputata sunt, Concinae. Quid igitur? Missa ne ille fecisset cetera illa, quae accurate, & copiose explicata essent, ut extrema solum verba consectaretur, quae Sylvester, ac Fumus oscitantes adhibuissent? Non arbitror: neque erit, opinor, quisquam, qui, his rebus perspectis, tibi magis, quam Concinae assentiendum putet, & saltem non valde dubium existimet in subsidium Cardenae ne, an Concinae opinionis Sylvester & Fumus deinceps sint appellandi. Sed haec fusius fortasse, quam necesse erat.

Tibi autem mirum videbitur quid sit, quod ita Concinae caussam, defensionemque susceperim, ut nullam habuerim Sylvestri ac Fumi Theologorum Dominicanorum rationem. Ego vero, Noceti, cum sic veritatem colam, nihil ut ei esse praeferendum putem, excusare errantium *intentionem*, quam vocant, possum; probare autem, aut tacitus praeterire, quin coar-

coarguam, errorem meorum, praesertim, qui aliis noceat, non possum. Quod si mea haec non placet ratio his, qui tanti eos, qui sibi fuerint instituti societate conjuncti, faciunt, ut persuadere mortalibus videantur velle, nihil unquam fuisse ab suis minus castigatè aut pronunciatum, aut scriptum; mihi certè placet, qui meos, quod homines fuerint, nihilque humani ab se alienum putarint, incidisse interdum fateor in absurdas, falsasque sententias. Quod si errasset aliquando Concina, ego ipse, qui illius ago contra te caussam, errasse eum ultro faterer; quamquam impostorem neque appellarem, neque à quoquam appellari ferrem, quod castigandum errorem, eum autem, qui erravit, monendum, non conviciis exagitandum ab homine Christiano sciam. Ac de Cardena quidem hactenus.

XLVI. Venio ad Castropalaum. *De Castropalao.* De illo autem scribit Concina Tom. 1. pag. 144. „ Catholicus, videns sacras „ imagines conteri; Crucifixum contu„ meliis affici, tenetur ne suam fidem „ prodere, sacrasque imagines a con„ temptore vindicare? Resp. Pater Ca„ stropalaus Tract. 4. disp. 1. punct. 13.

 num. 7.

„ num. 7. docet, ut etiam advertunt
„ Salmanticenses, teneri utique fidem
„ profiteri, si confidat, hac sua publi-
„ ca confessione compescendam fore in-
„ fidelium proterviam, & impietatem:
„ secus vero si ex sua confessione praevi-
„ deat, irritandos magis fore, atque in
„ blasphemias erupturos contemptores.
„ Hanc opinionem communiter auctores
„ rejiciunt. Sanchez lib. 2. in Decal. c. 4.
„ n. 5. .... ratio est, quia tunc fides catho-
„ lica despicitur; Deoque honor debitus
„ subtrahitur per contrariam contume-
„ liam, ergo confitendae fidei praece-
„ ptum urget: ergo sua publica confessio-
„ ne tenetur, quoad fieri potest, injuriam
„ Deo, & sacris imaginibus irrogatam pro-
„ pulsare.„ Tu vero his descriptis cap. IV. facile concedis errasse Castropalaum; sed doles, auctum nonnihil ejus errorem fuisse ab Concina, propterea quod Castropalaus ne verbum quidem de contritis sacris imaginibus, deque affecto contumeliis Servatore habeat, sed loquatur „ solum
„ de casu, quo detur simplex irrisio, quae
„ contraria laudatione compensari pos-
„ sit.„

Sed doles, mihi crede, injuria; nam pri-

primum Concina nihil plus de Castropalao scribit, quam de eo scriptum ab Salmanticensibus, quos laudat, fuerit *tract.21. cap.2. punct.6., num.7. pag.* 83. edit. Venet. 1728. „ *An videns imagines sacras* „ *conculcari, aut Christum contumeliis affici* „ teneatur fidem publica confessione tue- „ ri, & defendere illas ab improperanti- „ bus & sacrilegis? negat Castropalaus „ Tract. 4. punct. 13. num. 7. „ Itaque legito quae de hoc genere accusationis scripsi epist. 1. num. 18. & 24. & secunda num. 22.

XLVII. Deinde difficile tibi non fuisset cognoscere, quid sibi velit Castropalaus, cum quaestionem ita proponit: *si videas fidem irrideri &c.* si quos ille auctores sequitur, adiisses, & quemadmodum isti hanc quaestionem proponant, considerasses. Sanchesium & Coninckium laudat Castropalaus. Habet enim hoc modo: „ Tertio si videas fidem irrideri, & abs- „ que tuo gravi incommodo possis irri- „ dentes compescere, vel fidem lauda- „ re, teneris id praestare, quia tunc lau- „ datione videtur irrisio facta diminui, „ & quasi compensari. Sanchez lib. 2. „ cap.4. n.5. & Coninch. disp.15. dub.4. „ n. 80.

 Quid

Quid vetat, Noceti, quin Castropalaum ex iis, quos laudat, interpretemur, ut facilius intelligamus, quid sit hoc loco irrideri Fidem? nihil omnino, quod sciam. Non enim video, cur, si recte Sanchesius (hoc uno, ne longum faciam, contentus ero) in subsidium suae opinionis a Castropalao vocatur, non ambo in eadem quaestione versari, atque eandem rem diversis vocibus significare dicendi sint. Equidem credo, idem tibi in mentem venisse, & propterea utrumque ex Castropalai loco sustulisse; non enim in tuo libello hos duos casuistas a Castropalao nominatos invenio. Itaque Sanchesius loco a Castropalao indicato „ hinc „ deducitur, *inquit*, Christianum viden- „ tem Christum ab infidelibus contume- „ liis affici, vel imagines conculcari, „ & temnendam fidem, nisi causam ejus „ publica fidei confessione tueretur, te- „ neri ad id, quia tunc contrarie subtra- „ hitur honos Christo.

Non placuit tamen generatim haec doctrina Sanchesii Castropalao, qui idcirco statim adjungit: „ Quod si timeres, „ irrisores ex tua laudatione magis irri- „ tandos fore & in blasphemias proces-

„ suros;

„ furos ; non credo , te esse obligatum ,
„ si quidem cessat finis ob quem tua laudatio praecipitur , qui est fidei Christianae excellentiam promovere . „ Quae quidem exceptio cum superiore Sanchesii doctrina manifeste pugnat : quare miror , te confidenter scribere p. 8. : „ fallitur deinde , & lectores suos fallit „ P. Concina dum dicit opinionem Castropolai *communiter* ab omnibus reiici & nominatim a Patre Sanchez . Pater Sanchez loco citato ne verbum quidem habet , quo reiiciat *praedictam opinionem* . „ Ne verbum quidem ? Ego te lectores fallere velle non dicam ; sed falli teipsum certo scio . Legito rursum descriptum a me Sanchesii locum , est enim is , quem indicat Concina , atque expone , si potes , quo tandem modo ratio illa Sanchesii , *quia tunc contrarie subtrahitur honos Christo*, cum illa Castropalai exceptione componi possit . At profecto non potest . Nam si generatim statuit Sanchesius , tunc fidem Christiano publice confitendam esse , cum honor Christo *contrarie subtrahitur* , idque eveniat , ut idem explicat Sanchesius, quotiescumque Christus ; vel fides , quam nobis attulit , ab

improbis irridetur: nulla esse causa potest, ne illa quidem, quam affert Castropalaus, cur sibi Christianus fidei confessione supersedendum putet. Non enim quid improbi facturi sint, si fidem confiteatur; sed Christi honorem, nisi confiteatur, a Christiano, ut oportet, non vindicari, cogitare debet. Huc accedit, quod Castropalaus cum affirmat, Sanchesium appellat, cum autem negat, fidem esse confitendam, non item; quod tibi indicio esse poterat, Castropalaum ipsum vidisse, opinionem suam non fuisse probatam Sanchesio.

Quod autem profers ex Sanchesio *loc. cit.* num. 3. ut eum cum Castropalao consensientem esse demonstres: „ quando au„ tem ex publica confessione fidei nulla „ utilitas speratur, sed sola infidelium „ perturbatio, non est laude digna. Sic „ D. Thomas 2.2. quest.3. art.2. ad 3. „ vehementer probo, sed pace tua dixerim, non est ad rem. Duae sunt quaestiones. Una quidem: an, cum ethnici nostris molesti non sunt, expediat quemquam nostrum publice fidem confiteri, si periculum sit, ut non solum nihil Religioni proficiatur, sed etiam ne infideles contur-

turbentur. Hanc quaestionem instituit Sanchesius n.3., & loco ab eo *cit.* D.Thomas, recteque respondet, non expedire, neque utilem, neque laude dignam fore fidei confessionem. Altera est quaestio: an, cum ethnici afficiunt contumelia Servatorem, vel irrident Religionem, oporteat Christianum publice fidem confiteri. Haec nostra quaestio est, quam Sanchesius instituit, & soluit, ut dixi supra, num.5. Sed tu, his, quae ad hanc quaestionem pertinent, praeteritis, id, quod ille recte respondet ad priorem, profers, & exeo Sanchesium cum Castropalao consentire pronuncias. Tu autem videris id ne veritatis vindicem deceat.

XLVIII. Agis rursus de Castropalao, & una de Sanchesio cap. xxxiii., quorum neutrum defendisse dicis opinionem, de non observando juramento, quod scriba *juravit de servanda taxa, si taxa sit juxta & sufficiens, lex tamen contrario usu abrogata*. Hanc quaestionem proponit auctor Theologiae Christianae Tom. 4. pag. 85. quam ex Leandro, quem unum refellit, non ex Sanchesio, aut Castropalao sumpsisse se docet, hoc modo: „ Leander disp. 31. quaest. 7. *probabilius* in- *Rursus de Castropalao, unaque de Sanchesio.*

„ quit, *adhuc respondeo non obligare tale*
„ *juramentum scribas & ministros ...*
„ *quia censendi sunt se noluisse obligare.*
„ Pro hac opinione laudat P. Sanchez,
„ Palaum, Dianam, Trullenchum,
„ Pradum.

Hoc unum omnes tibi faciendum fuisse dicent, ut videres, an Leander hos laudet casuistas, aut saltem eos, quos ita sensisse negas, & si revera laudat, aut omnino taceres, aut Leandrum, non Concinam reprehenderes. Neque enim huic, lecto Leandro, mentiendum erat, & neminem ab eo pro hac sententia laudari scribendum. Ac neminem sane futurum arbitror, qui hoc munus fuisse Concinae dicat, ut recte ne omnes scriptores ab Leandro nominarentur, perspiceret. Qua de re vide, quae Epist. 1. num. 18. & 24. demonstravi. Sed de hoc genere accusationis, quod quam sit inane, ne te quidem, si verum confiteare, fugit, non tam multa dici possunt, quin plura dicenda supersint. Et sane qui leget, ut id obiter dicam, hoc caput exemp. caus. lebelli tui, in quo tam acriter pro Sanchesio, & Castropalao pugnas, is sane existimabit, Concinam diligentem in his duo-

duobus Casuistis refellendis, eorumque dictis expendendis operam consumsisse; sed ubi Concinam leget, & nihil eum, proposita Leandri opinione, scripsisse animadvertet, nisi: *pro hac opinione laudat Sanchez Castropalaum, Dianam, Trullenchum, Pradum*, mirabitur qui potuerit tibi in cogitationem cadere, ut Theologum malae fidei accusares ob eam caussam, quod is quos quisque in subsidium suae opinionis laudet casuistas, accurate indicarit.

Sed ais, videre te quidem, Concinam in his casuistis laudandis Leandrum esse secutum; sed parum hoc tibi satisfacere, propterea quod auctores illi *in fonte* legendi fuissent, praesertim cum de sententiis ageret, quae eorum famam labefactare viderentur. Ego vero primum quaerere ex te possem, an haec opinio, cum Sanchesio, & Castropalao tribueretur a Leandro, eorum famam labefactaret? Deinde quid sit, quod nunc primum cogitetis de fama vestrorum Casuistarum vindicanda? Sed, his omissis, ad id, quod rei caput est, venio. Scias, paruisse me necessitati, quam Concinae frequenter inculcas, auctores *in fonte* legendi: atque

hoc

hoc intellexisse, parvi referre auctores *in fonte* legere, nisi ea mente legantur, quam veritas & ratio postulat. Nam etiamsi Sanchesium tu quidem & Castropalaum, ut Concinam accusares, *in fonte* legeris, confidenter tamen negas, eos in hac opinione fuisse versatos: ego vero Castropalaum eandem, quam Leander, Sanchesium autem paulo deteriorem, nisi fallor, defendisse, contendo. Uter nostrum eos ita legerit, ut oportebat, lectorum erit judicium.

Age. Leandri est quaestio: *an saltem juramentum praestitum ab scribis & aliis ministris de observanda taxa obliget si taxa sit justa & sufficiens, lex tamen contrario usu abrogata?* Negat is hoc jusjurandum conservandum esse si legi, quae *taxam* constituit, contraria consuetudine esset abrogatum. At Concinae intolerandum videtur, huic legi, nisi sit evidens stipendium injustum esse, ulla consuetudine abrogari; & scribam, qui juravit, se non plus, quam lex constituit, accepturum, jure jurando liberari. Recte quidem, ut arbitror, & ad juris jurandi religionem accomodate. Tu autem descripra Concinae argumentatione, qua Leandrum solide refellit:

sit: „ Pater Sanchez, *inquis*, ne per somnium quidem cogitavit docere sententiam in hac Concinae declamatione descriptam „. Tum quid docuerit exponens: „ docet, *inquis*, hoc tantum conditionate: Quod si taxa justa jurata decursu temporis ob aliquas supervenientes circumstantias *fiat judicio virorum doctorum injusta & insufficiens* . . . in tali casu juramentum non amplius obligare, quia fuit de observanda taxa justa, non vero injusta, qualis supponitur judicio doctorum virorum effecta esse taxa prius praescripta. En ejus verba in Decal. cap. 14. n. 14.

„ *Sexto deducitur quid dicendum sit de quibuscumque ministris publicis, jurantibus servare stipendium lege taxatum; vulgo el aranzel; quando probabiliter judicaretur a Viris doctis, esse successu temporis minus sufficiens, & injustum. Quod quando eveniat, non est praesentis loci disputare; sed in casu, in in quo ita esset, tractamus. Dicendum enim est, id juramentum non obligare ad eam stipendii laboris taxam, quae injusta est.*

„ Dignetur Pater Concina me docere,

„ cere, ubi nam Sanchez ſupponat taxam
„ perſeverare juſtam & ſufficientem. Di-
„ gnetur docere, ubinam Sanchez dicat,
„ uſum contrarium poſse abolere juſti-
„ tiam juratam, juſtitiam commutantem,
„ legem naturae. Dignetur docere, ubi
„ nam Sanchez fundet ſuam aſsertionem
„ in uſu contrario etiam abrogante le-
„ gem poſitivam Principis. Demum di-
„ gnetur docere, ubi nam P. Sanchez
„ ſaltem nominet uſum contrarium. De
„ his rebus ne verbum quidem apud Pa-
„ trem Sanchez.

Non dicit, Noceti; non tribuit Sancheſius hanc vim conſuetudini, ſed probabilitati: ait enim: *quando probabiliter judicaretur a viris doctis* ſtipendium *eſſe ſucceſsu temporis minus ſufficiens & injuſtum*: in quo mihi videtur, ut dixi, Leandro deterior. Nam cum ambo ſcribam illum juratum non plus ſtipendii accipere, quam ſit lege praeceptum, ab juris jurandi religione liberare velint, eique facultatem dare plus accipiendi, Leander quidem ad eam rem conficiendam utitur conſuetudine, qua lex, quae ſtipendium conſtituit, eſset abrogata; Sancheſius autem virorum doctorum, quibus ſti-

pendium

pendium non amplius justum esse videatur, probabilitate. Neutri quidem assentiendum puto, neque video, aliud quaeri alterutra opinione, nisi latebram perjurio: sed ego facilius ignoscerem ei, qui hoc jusjurandum non conservaret, & plus stipendii acciperet adductus consuetudine, qua legi, quae stipendium constituit, abrogatum esse videretur; quam ei, qui ut idem faceret, contentus esset probabilitate. Haec enim nititur duorum, summum trium casuistarum opinatione: consuetudo autem signum est consentientis multitudinis, quae plus ponderis habet ad morem introducendum, vel aliquid suadendum. Quid? stipendium justum est, lex, quae stipendium constituit, adhuc viget, & nihilominus scriba, qui se hanc legem servatarum juravit, jure jurando liberabitur ob eam causam, quod *probabiliter judicaretur a viris doctis esse successu temporis minus sufficiens & injustum*? Tanta vis tribuetur probabilitati, ut non solum Reipublicae legem, sed etiam jusjurandum solvere possit? Non puto. Numquam vir bonus nihil ducens stipendii equitatem, Reipublicae legem, quae stipendium constituit, & ipsam juris jurandi sanctita-

tem,

tem, incertis paucorum Casuistarum, hi enim sunt viri docti, quos appellat Sanchesius, opinationibus assentietur.

Cave nunc objicias sive roges: *ubinam Sanchez supponat, Taxam perseverare justam & sufficientem*; nam primum exte quaero, ubinam *supponat* non *perserverare justam & sufficientem*? Noli rem implicare; explicata enim, ut oportet, ejus sententia, manifestum est, agi de stipendio justo quidem, & a lege praescripto, sed quod viri docti, ut ipse ait, non amplius justum esse probabiliter judicarent. Una probabilitas est, ut plane intelligas, quae justitiae, quae Reipublicae legi, quae jurisjurandi insidiatur religioni.

L. De Castropalao quid dicam? Hunc adeo perspicuum est cum Leandro sentire, ut Leander, uno ejus testimonio, quod a te relatum est, rem conficiat. Tu tamen ,, Castropalaus, *inquis*, nunquam ,, supponit taxam, abrogata ea lege, ,, perseverare ita justam jure naturae, ut ,, violetur lex naturalis, siquid plus exi- ,, gatur, quam erat taxatum: & nun- ,, quam ipsi venit in mentem hoc absur- ,, dum, nempe usum contrarium posse

,, abro-

„ abrogare ea, quae sunt juris natura-
„ lis.

Paucis verbis tria peccata. Primum peccatum est, quod errorem Castropalai dissimules. Non enim errat in eo, quod *supponat taxam*, *abrogata ea lege*, *perseverare justam*, sed in eo, quod velit, posse legem, quae *taxam* justam constituit, consuetudine abrogari. Quod quia Concinam legendo videre noluisti, attende saltem diligenter quemadmodum Castropalaus ipse quaestionem proponat:
„ sed gratis admisso, *taxam esse injus-*
„ *tam*, *vel consuetudine derogatam esse*,
„ est dubium, an ob juramentum de illa
„ servanda sis obligatus illam servare,
„ ita ut perjurius existas, si taxam vio-
„ les. „ Perspicuum est enim, duos proponere casus non conservandi jurisjurandi: unum, si stipendium labori non respondeat; alterum, si respondeat quidem, sed tamen lex consuetudine abrogata esset. Hoc est, quod Concina oppugnat, posse legem, quae justa est, consuetudine abrogari, & in ejusmodi abrogatione fundamentum constitui jurisjurandi non conservandi.

Alterum peccatum est, quod, ab-
rogata

rogata ea lege, non ita justum jure naturae manere dictites stipendium, ut si plus, quam lege constitutum erat, accipiatur, jus naturae violetur. Hoc enim, cujusque modi sit, ad rem non pertinet. Non dixit Concina, abrogata ea lege, jus naturae violari, sed legem ipsam, quam consuetudine abrogatam esse negat, violari non posse, quin jus naturae una violetur. Sed quoniam hac cavillatione perpetuo uteris, ut, praeterita quaestione, stipendium, abrogata lege, non amplius justum esse contendas, paucis dictum Concinae explicabo, non quia explicationis indigeat, est enim perspicuum, sed ne tibi relinquam tergiversandi locum. Ait Concina, quod *nullus usus abrogare potest justitiam commutantem; quae juris naturalis est*. Igitur non loquitur de jure naturae seorsim a justitia commutante, sive abrogata ea lege, sed ait, *justitiam commutantem*, de qua est sermo, ad jus etiam naturae pertinere. Quod sane verum est. Nam si stipendium judicio legislatoris labori respondet, non solum est viri boni, qui justitiam *commutantem* violare nolit, illud conservare; sed etiam jus naturae postulat, ut illud conservetur; propterea

rea

rea quod juris, naturale quod dicimus, eſt, ut ne quid agamus contra juſtitiam commutantem. Igitur *nullus uſus abrogare poteſt juſtitiam commutantem, quae juris naturalis eſt*: jus enim naturae, ut cogit quemque ſtipendium conſervare, ita impedit, quin legi, quae illud conſtituit, abrogetur.

Ex quo tertium manifeſtum eſt peccatum tuum, cum objicis, nunquam in mentem veniſſe Caſtropalao *hoc abſurdum, nempe uſum contrarium poſſe abrogare ea, quae ſunt juris naturalis*. Nam ne Concinae quidem in mentem venit, ut id objiceret Caſtropalao; ſed tibi, quo rem implicares, in mentem venit, ut id objectum fuiſſe diceres. Quod Concina hujus ſententiae defenſoribus objecit jam dixi, & iterum dico: non poſſe legem, quandiu ſtipendium ab ea conſtitutum juſtum eſt, conſuetudine abrogari. Hoc eſt, quod ſumit Caſtropalaus, & ex eo Leander in hac quaeſtione explicanda; definiuntque, ſcribam, qui hanc legem ſervare juravit, juris jurandi ſolutum eſſe religione, propterea quod legi, ut ipſi putant, conſuetudine ſit abrogatum. Quae opinio digna mihi videtur, quae in catalogum

earum, quae nimis *laxae* sunt, referatur ob contemptam, & pene ludibrio habitam jurisjurandi sanctitatem: neque improbo, quod ait Concina, eam esse „ unum ex
„ principiis tot rapinarum, rapacitatum,
„ oppressionum, & injustitiarum, quae in
„ foris grassantur. Si enim vel ipsi Ca-
„ suistae docent, usum abolere posse ipsam
„ juratam justitiam, quid tam sanctum,
„ tam justum erit, quod praevalente ho-
„ minum malitia, & abusu violare sibi li-
„ citum non reputent ejusmodi ministri?

Nihil de his, quae de eodem Castropalao cap. LXXVIII. opponis, dicam, quod tibi à me putem fuisse *Epist.* 11. *num.* 12. *& seqq.* cumulatissimè satisfactum.

De Coninckio, & Viva. LI. Succedit Coninckius, cui Vivam adjungis. Horum de Sacramento Confirmationis sententiam, quam a Concina minus recte fuisse descriptam putas, *cap.* LXXIX. exponere conare. Sed antequam de te, quae sentiam, explicem, feres opinor, ut quae Concina de ea rescripserit, videamus.

„ Opinio, inquit tom. 8. pag. 227.,
„ P. Dominici Viva a culpa veniali cum
„ Trullenco, Conink, aliisque Casuistis,
„ excusantis Fideles, qui tantum Sacra-
„ mentum

„ mentum (Confirmationis) negligunt , „ nimium laxa eſt : Siquidem , ut fatetur „ vel ipſe Leander loc.cit. quaeſt. vii. ex „ Patre Valentia , communiter illi ipſi „ auctores , qui negant praeceptum , fa- „ tentur peccare illos , qui hoc Sacra- „ mentum negligunt .

Et pag. 223. propoſita ſententia Vivae , ita ſcripſerat .

„ Nec venialem quidem culpam per- „ petrat Chriſtianus , qui in hoc agone „ conſtitutus , & undique hoſtium multi- „ tudine circumdatus , deliberate nolit „ ſe tali munire praeſidio ? Declamator „ ne ero, & ſanctae charitatis violator , ſi „ dixero , hanc doctrinam nimiam redole- „ re laxitatem ?

Quibus exſcriptis prolixam inſtituis diſputationem de ſententia Conink, & Vivae , quam non eam eſse dicis , quae vacuum ab omni culpa declarat Chriſtianum, qui ſacramentum Confirmationis omitteret ; ſed eam , quae licet nullum praeceptum admittat hujus ſacramenti ſuſcipiendi , eum tamen , qui illud omitteret , peccaturum affirmat ob alias cauſsas , puta , quod magnum animi praeſidium , & excellens bonum negligeret . Sed dubito

 an

an sit ejusmodi opinio Vivae; (de Conink dicam postea) nihil enim ex eo profers, quo demonstres, eum in hac sententia esse versatum. At Viva par.v. quaest.3. art.2. num. 6. diserte docet, nullum esse peccatum hoc sacramentum omittere: „ Re-
„ spondeo, *inquit*, cum communi apud
„ Dianam.... non esse mortale illud nolle
„ suscipere praeciso contemptu, & scan-
„ dalo. Immo ex Trull. & Henri. con-
„ tra Navar. apud Conink nec veniale
„ quidem, cum nullibi extet praeceptum
„ de illo suscipiendo. „

Sed ais eum negare „ solum culpam
„ venialem, quantum est ex vi praecepti
„ directi, Tum quia loquitur in sensu
„ Patris Conink negantis culpam venia-
„ lem, ut vidimus, solum ex obligatione
„ directa. Tum quia non aliam affert ra-
„ tionem negandi talem culpam, nisi quia
„ nullibi extat praeceptum de illo susci-
„ piendo. Tum quia ne verbum quidem
„ habet, quo neget culpam venialem ali-
„ unde ortam. Ergo neque Conink ne-
„ que Viva negant indefinite, & univer-
„ saliter omnem culpam venialem, etiam
„ illam, quam admittunt auctores negan-
„ tes praeceptum: Ergo P. Concina hoc
„ ipsis

„ ipsis affing ndo aperte imposuit. „

At ne his quidem tribus animadversionibus quidquam proficis: non postrema, hinc enim ordiri placet, quia licet *ne verbum quidem* habeat, *quo neget culpam venialem aliunde ortam*; tamen ne verbum quidem perinde habet, quo eam admittat. Non altera, quia cum diserte neget culpam venialem, & hujus rei hanc non idoneam afferat rationem, quod nullum extet praeceptum hujus sacramenti suscipiendi, illud necessario sequitur, eum aut valde implicate loqui, aut omnem culpam velle negare. Constat autem illam rationem: *cum nullibi extet praeceptum de illo suscipiendo*, idoneam non esse ad levem culpam removendam, propterea quod, ut disserit Conink, quem Viva legit, si quod esset praeceptum hujus sacramenti suscipiendi, id propter rei dignitatem graviter obstringeret: & idcirco negato praecepto, gravis culpa recte negatur; levis nullo modo.

Id autem, quod erat primum, Vivam loqui *in sensu Patris Conink negantis culpam venialem ..... solum ex obligatione directa* parum tibi prodest; nam potius Trullencho, & Henriquesio, quam Conin-

kio assentiri videtur; ait enim: *Imo ex Trull. & Henr. contra Nav. apud Conink, nec veniale quidem*. Quare si vis, ut Vivam non ex eo, quod scribit, sed ex iis, quos laudat, interpetremur, magis Trullenchum, & Henriquesium, quam Coninkium consulere oportet. Henriquesii autem, & Trullenchi nosti quae sit opinio: scilicet contraria ei, quam tuetur Navarrus; ait enim Viva: *ex Tull. & Henr. contra Navarrum*: atqui Navarrus non negat peccatum negligentiae: *sola*, inquit, *negligentia esset venialis, cum non videatur ulli praecepto contraria*: ergo negant Trullenchus, & Henriquez. Sic est: Henriquez (Trullenchum, ne sim longus, omitto) lib. 3. cap. 1. nûm. *6*. „ *secluso*, inquit, *contemptu nullum per se est peccatum omittere confirmationem*. Ne autem putes, patere tibi perfugium in distinctione *directae*, atque *indirectae* obligationis; & respondere te posse, illud peccatum negari ab Henriquesio, quod oritur ex *directa obligatione*; adverte animum ad ea, quae in *Notis* adjungit: „ D. Thomas art. 1.
„ ad 3. artic. 8. ad 4. Cajetanus V. Con-
„ firm. significant, obligare sub veniali:
„ sed probabilius videtur non obligare,

„ se-

„ secluso scandalo „ Atqui D. Thomas, & Cajetanus locis cit. sermonem habent de peccato negligentiae, sive de eo, quod tu vocas *indirectae obligationis*; nam Divus Thomas ait, Christianum peccaturum ex eo, quod *detrimentum perfectionis* pateretur; & Cajetanus item ex eo, quod non esset, ut par est, *sollicitus de sacramento communi omnibus Christianis ad robur fidei a Christo instituto*: Igitur Henriquesius, &, qui eum sequitur, Viva illud etiam peccatum, quod oritur ex negligentia, admitti negant ab eo, qui sacramentum Confirmationis omitteret.

LII. Extremum est, ut animadvertas, Vivam, licet ex Coninkio se totum sumpsisse demonstret, Trullenchum tamen & Henriquesium Navarro opponere, quos Coninkius eidem non opponit, sed eos ut sibi, & Navarro consentientes laudat: eundem Vivam, quem cum Coninkio consentire dicis, Navarro repugnare, Coninkio non repugnare: hinc magnam oriri confusionem, neque perspicue cujusque sententiam cognosci posse, cum laudet quisque Casuistas sibi repugnantes: Viva Coninkium, Coninkius Trullenchum, & Henriquesium. Hoc tibi extricandum

 relin-

relinquo; jam taedet enim me harum circuitionum, ut sententia unius ex alio cognoscatur, & tot aberrationum horum Casuistarum, quas si Concina universas expendere debuisset, plus sane temporis, quam in dimidio volumine conficiendo consumpsisset. Itaque cum in hac ipsa quaestione aperte dixerit: *otio non abundo, ut ad examen revocem Patris Suarez, quem profecto magni facio, doctrinam*, multo minus mirari debueras lectum non adiisse Coninkium, quem propterea nominavit, quod a Viva in subsidium suae opinionis laudatus fuisset.

Minus tibi succenseo, quod aegre feras, *laxam* a Concina appellari sententiam, quae negat, ullum esse latum praeceptum suscipiendae Confirmationis: quam enim multi, doctique Theologi defendunt, ego *laxam* non appellarem. Cur ille appellarit ignoro. Forte cum suam item a multis doctisque Theologis defendi, deque magno Sacramento agi videret, censuit contrariam parum habere firmitatis.

Nunc scire velim, serione, an joco huic capiti hoc modo finem imponas: „ nulli tamen mirum sit, si tam strenue „ defen-

„ defendit P. Concina praeceptum ſuſci-
„ piendae Confirmationis, ſi quidem in-
„ ter effectus hujus Sacramenti recenſet
„ etiam animi robur, & firmitatem ad
„ impugnandas opiniones laxas: „ ſerio
ne, inquam, haec ſcribis, Noceti, an
joco? Nam ſi ſerio, ſane parum accurate Concinae ſententiam exponis. Non enim ille *inter effectus hujus Sacramenti recenſet etiam animi robur & firmitatem ad impugnandas opiniones laxas*; ſed ad moderate ferenda odia & propudia defenſorum laxarum opinionum: ait enim pag. 222.: *in iſtorum odia & invidiam incurrimus dum evangelica Chriſti effata inculcamus*. Quod ſi tibi irridendum videtur, Epiſtolas legito Euſebii Eraniſtes, imprimis XXXI., atque animadvertito, an ad tot propudia & maledicta Chriſtiane ferenda ulla re magis ſit opus, quam Sacramento Confirmationis.

LIII. Pergo nunc ad La-Croixium, in quo vindicando primum illam propoſitionem arripuiſſe te video, quam Concina Tom. 3. pag. 117. in cathalogum *laxarum* refert: „ *ſi voviſti* redimere jactu-
„ ram temporis, comprehendiſti ludum
„ etiam moderatum, itemque luſum pro
„ alio *De La-Croixio.*

„ alio, quia vere luderes cum jactura „ temporis. Poteris tamen per alium „ ludere, licet aspiciendo perdas tem„ pus. La-Croix lib. 3. part. 1. n. 454.

Scilicet hoc doles cap. xxi. scriptum esse *vovisti* pro *voluisti*; & La-Croixii ob eam rem mutatam esse sententiam. Sed non ignoras, Concinam, cum id ipsum a tuis in libello supplici objectum fuisset, in sua *declaratione* pag. 2. respondisse: errorem, *ut quisque judicare potest*, ortum esse *vel vitio typographi*, *aut visus mei debilitate*, *a malitia voluntatis nullo modo*. Quid amplius quaeris? Quid est, quod tibi putes responderi oportere? An incredibile est, vitio typographi hanc mutationem accidere potuisse? Ego si hoc dicam, te, non ut La Croixium defenderes, sed ut Concinae invidiam conflares, hoc erratum, ut alia pleraque, quae in eo libello continebantur, rursus objecisse, nihil reperio, cur tibi ipsi verum dicere non videar.

Itaque, quando tibi non placet Concinae responsum, alio mihi utendum erit. Illud dico, te La-Croixii propositionem, non integre descripsisse, partemque ejus deteriorem omisisse. Haec est enim

enim propositio, quam Concina in numerum *laxarum* retulit. „ Si vovisti redimere jacturam temporis, comprehendisti ludum etiam moderatum, „ itemque lusum pro alio: quia vere luderes cum jactura temporis. Poteris „ tamen per alium ludere, licet aspiciendo perdas tempus.... Si eo fine vovisti, ut vitares rixas, blasphemias, juramenta... licebit tibi ludere nomine „ alieno, vel per alium; immo & ludere licebit per alium; licet haec incommoda timeantur, quia re ipsa non ludis. *La-Croix lib.* III. *par.* I. *num.* 454. „ *pag.* 175. *ex Tamburino, Palao, &* „ *aliis. Vide infra cap.* V. *quaest.* XVI. „ *num.* 48. *& seq.*

Agnoscere te puto, omitti abs te non debuisse hanc posteriorem partem: *si eo fine &c.* Propterea quod, cum sit deterior, potest ex ea lector intelligere, illam mutationem, de qua tantopere doles, etiamsi La-Croixii sensum tantisper corrumperet, nullius studio accidisse. Cur enim Concina scriberet *vovisti* pro *voluisti* & nonnihil priorem partem propositionis depravaret, quando tam justa caussa in posteriore non deerat, cur eam in numerum *laxarum* referret?

De-

Denique nisi hactenus tibi hac de re satisfactum est, rationem praescribito, qua velis tibi satisfieri; nihil enim est caussae, cur recusemus. Unum ne postules, ut La-Croixii propositio ex numero laxarum eximatur; nimis enim perniciosa est, & ea facile abutuntur *Confessarii*. Narrabat mihi non ita pridem vir dignitate, doctrinaque praestans, persuadere se non potuisse viro nobili, qui, cum vovisset a ludo sibi temperare, per alios ludere solebat, ne id faceret, propterea quod ad omnia responderet, se tutum esse, itaque facere consilio *Confessarii*.

Rursus de La-Croixio, itemque de Moya, & Gobato.

LIV. Cap. XXII. vindicatur, inquis, ab impostura La Croix Moya, & Gobat. exponis autem imposturam hoc modo: „ P. Concina Tom. 3. pag. 142. postquam multis rejecit opinionem Leandri docentis, votum castitatis simplex non obligare, & irritum fieri ob supervenientes libidinis vexationes, & crebros lapsus; haec habet:

„ Ne multa: haec doctrina, qua „ asseritur, supervenientes difficultates, „ molestias, transgressiones crebras reddere rem promissam materiam ineptam „ pro voto, & votum ipsum dissolvere, „ irri-

„ irritumque facere; ſicut de medio tol-
„ lit fere omnia vota, ita etiam promiſ-
„ ſa omnia inter homines infringit, ac
„ humanum abrumpit commercium......
„ Neque alicujus momenti eſt, quod ſub-
„ dit Leander *citata quaeſt.* 11., nempe
„ quod non relinquitur cujuſque judicio
„ ferre ſententiam, num omnibus cir-
„ cumſtantiis inſpectis, ſalubrius ſit ma-
„ trimonium contrahere, ſed tantum
„ judicio pii, & prudentis Confeſſarii,
„ nempe perdocti Caſuiſtae. Nugae iſtae
„ ſunt, vanique fuci, qui minime laxi-
„ ſſimae doctrinae horrorem obtegere va-
„ lent, aut imminuere. Quin verus ju-
„ dex moleſtiarum, tentationum, & la-
„ pſuum in venerem nemo peritior eſt
„ illo, qui talia experitur. Poſito ergo,
„ quod recenſita incommoda nulla effi-
„ ciant emiſſa vota, ut contendunt Caſui-
„ ſtae laudati, jam quiſque nullum votum
„ ſuum judicare poterit. Ad ſummum
„ conſulere poterit Confeſſarium ali-
„ quem, qui pro Magiſtris habeat Lean-
„ drum, Moyam, licet proſcriptum,
„ La-Croix, Gobatium, ceteroſque in
„ uno docendi genere conſentientes. „

His ex Concina deſcriptis: „ illo
„ Sar-

„ Sarcasmo (*ad summum consulere &c.*)
„ persuadet, *inquis*, Lectoribus P.Conci-
„ na, tres illos Jesuitas consentire cum
„ Leandro in hac sententia; Quod votum
„ simplex castitatis ob supervenientes dif-
„ ficultates, molestias, crebrosque lapsus
„ irritum fiat. Haec autem omnia mani-
„ festae sunt imposturae.„

Unde nam colligis, Noceti, Concinam his verbis persuadere voluisse Lectoribus, tres illos Jesuitas eandem, quam Leander, tueri opinionem? Ex ipsis verbis ne? an ex aliquo alio? Ex verbis non puto; nam quicumque ea leget, modo latine sciat, id intelliget, Concinam significare voluisse, quod ipsa verba suapte natura significant, Moyam Gobatum, & La-Croixium in *uno docendi genere*, quod est Probabilismus, non in hoc singulari errore defendendo, cum Leandro consentire: neque enim recte genus doctrinae usurpasset ad significandam trium, vel quatuor Casuistarum in una opinione defendenda consentionem. Itaque stomachans, Leandrum rem tantam, quanta est votum castitatis irritum declarare, maxime ob eam caussam, quod is, qui vovit, acriter libidine tentetur

tetur, *prudenti Confessario* committere; non inepte dixit, hunc *Confessarium*, qui id negotii in se susciperet, non alium futurum, nisi aliquem Moyae, Gobati, aut La-Croixii discipulum, hoc est similem Leandri probabilistam. An similis Leandri esse non posset, nisi omnes ad unam ejus opiniones tueretur?

Sin autem ex aliquo alio colligere te dicis, Concinam id, quod objicis, lectoribus persuadere voluisse, cupio videre quid illud sit; presertim, quod Concina, quem accusas imposturae,in hac ipsa quaestione aperte significet, tres illos Jesuitas in ea opinione non esse versatos. Referens enim Leandri fautores, Moyam, Gobatum, & La-Croixium non nominat: horum paulo post agens de materia voti mentionem facit, qui sit eorum error diligenter exponit, sed hunc Leandri nusquam eis attribuit. Igitur adverte animum ad id, quod pag. 141. de Moya,Gobato,& La-Croixio scribit: „ Male P. Claudius La-
„ Croix l.3. par.1. dub.3. n.409. rejicit
„ sententiam Sanchez,Valentiae, & alio-
„ rum, qui nostram tuentur opinionem,
„ adhaeretque Gobatio, & Moyae, qui
„ certe in hoc aberrant, dum volunt,
„ quod

„ quod res promissa sit melior voventi
„ per comparationem ad illius propen-
„ sionem in venerem, & lapsus in forni-
„ cationem.

Ecce tibi quem Moyae, Gobati, & La-Croixii memorat errorem, quin illum Leandri unquam eis attribuat. Imo qui legit hanc totam quaestionem, in qua cum plerosque Leandro consentientes nominat, tum de Moya, Gobato, & La-Croixio omnino tacet, facile perspicit, nunquam illi in mentem venisse, ut his Leandri errorem tribueret.

De La-Croixio tertio.

LV. Ad eundem La-Croixium, itemque ad votum pertinet id, de quo differis cap.XXIV. Descriptis enim Concinae verbis ex Tom.3. pag.183. „ Non est audiendus „ P. La-Croix, qui l.3. part.2. n.448. ni- „ mis laxe contendit, integrum *Rosarium* „ omittere levem esse materiam „ his, inquam, descriptis, Concinam accusas, quod La-Croixium, qui de tertia parte *Rosarii* loquitur, velit de integro *Rosario* esse locutum: sed La-Croixium defendere te nolle dicis, propterea quod illud ipsum, quod docet de omissa tertia parte *Rosarii* ab eo, qui eam se recitaturum vovisset, falsum esse, sive; ut verbo utar Casuistarum pro-

prio

prio, nimis *laxum* existimes. La-Croixius quidem non satis plane loquitur, praesertim cum ait: *imo Rosarium ipsum censetur quid exiguum in ordine ad cultum B. Virginis, vel Dei*: nam idem dici potest de integro *psalterio* comparate ad *Confessionem mortalium*, *Communionem*, *auditionem Missae*, & *jejunium unius diei*, quarum rerum comparatione utitur; ut ostendat, Rosarium in rebus exiguis, quae pertinent ad cultum Dei, esse numerandum. Sed quoniam addit: *per Rosarium autem communiter intelligitur non integrum Psalterium, sed pars ejus tertia*: demus tibi, eum de tertia parte esse locutum, neque plus peccasse, quam tu ipse concedis. Sed quid impedit, quo minus etiam Concinam de tertia parte locutum esse intelligamus? An quod integrum *Rosarium* nominat? non puto. Nam facile fuit, ut, postquam dixerat non esse grave peccatum unam, & alteram decadem omittere, cum deinceps de 3. parte statuere vellet, hanc comparare ad unam & alteram decadem, ut saepe fit, integrum *Rosarium* nominaret: praesertim nisi multum ad eam rem animum adverteret, neque cogitaret, non defuturos, qui in omni vocula imposturas

E inve-

invenirent. Sed de re leviſſima nimis multa. Tibi, ut voles, ſatis fiet.

De La-Croixio quarto. LVI. Venio ad id, quod ſcribis cap.xxxi. de eodem La-Croixio. Concinae locum ex Tom.3. pag.410. ita deſcribis: „An liceat jurare rem, quam probabiliter tantum judicas eſſe veram? „Reſpondeo. Hoc quaeſitum proponit „P.La-Croix lib.3. part.1. cap.2. dub.3. „quaeſt. 70. num. 267. Reſpondet vero „his verbis: „ *Sanchez lib. 3. cap. 4.* „ *n. 10. Caſtrapalaus part. 5. num. 2. aliique apud Dianam part. 4. Tract. 4. reſol.77. affirmant: quia juras hoc, quod* „ *judicas verum: ergo non peieras: unde* „ *quod aliquis audivit a Viro notabili,* „ *& fide digno, poteſt ſecundum illos au-* „ *ctores*: (nota jam hinc lector: non dicit ſecundum ſuam ſententiam, ſed narrative ſecundum illos Auctores) „ *affirmare, & extra judicium jurare eſſe* „ *verum: quod aliqui apud Dianam exten-* „ *dunt ad juramentum etiam in judicio.*

„Et paulo poſt pag.413. P.Concina „haec ſubdit.

„Recentes Theologi communiter „docent, ſufficere unicum teſtem fide di„gnum ad jurandum extra judicium, ſe-

„cus

,, cus in judicio. Sic inquiunt... La-Croix,
,, & plures alii, quos ipsi citant,

His autem descriptis ,, P. Concina,
,, *inquis*, hic duo praestat. Primum adeo
,, mulitate refert textum P. La-Croix, ut
,, persuasum relinquat lectoribus, P. La-
,, Croix adhaerere uni sententiae, cum ad-
,, haereat omnino oppositae.,,

Ego quoque duo praestabo. Primum, Concinam nusquam lectoribus persuadere La-Croixium huic adhaerere sententiae: deinde persuadere potuisse, nam huic sententiae, quod palam abs te factum est, La-Croixius adhaesit. Primum facile conficio; nam Concina La-Croixium induxit Sanchesii & Castropalai opinionem referentem, & hoc modo concludentem: *unde quod aliquis audivit a viro nobili & fide digno potest secundum illos auctores affirmare &c.*, quibus La-Croixii verbis tu ipse adscripsisti: *nota jam hic Lector*: *non dicit secundum suam sententiam*, *sed narrative*, *secundum illos auctores*: Itaque Concina satis aperte, te ipso fatente, significavit, La-Croixium non *secundum suam sententiam*, *sed narrative secundum illos auctores* loqui. An erat illi post relata La-Croixii verba scribenda praeterea *homilia*, ut le-

ctores intelligerent, La-Croixium hoc loco non suam, sed aliorum proferre sententiam?

Alterum ex eo, quod tu de La-Croixio profers, pari facilitate conficitur. Ais enim, La-Croixium post relatam Suaresii opinionem, quae *moralem certitudinem ad omne juramentum* requirit, adjungere: *& haec ultima sententia videtur probabilior*. Igitur superiori Sanchesii & Castropalai adhaeret ut probabili. An aliud haec verba, *haec sententia videtur probabilior*, in ore La-Croixii significare possunt, nisi contrariam esse probabilem? An non satis est La-Croixio opinionem esse probabilem, ut eam sequi possimus? Itaque, cum nihil habeas, quo probes La-Croixium *oppositae*, hoc est Suaresii, adhaerere sententiae, nisi quod eam dixerit esse probabiliorem, illud necessario sequitur tua magis, quam Concinae opera, persuasum esse Lectoribus, La-Croixium utramque probare sententiam. Nam Concina, cum La-Croixium induxerit Sanchesii & Castropalai referentem opinionem, neque contrariam Suaresii probabiliorem appellare indicarit, nullomodo, quid La-Croixius hac de re sentiret, patefecit. Et vero accidit

accidit mihi, ut hac ejus quaestione perlecta, quam in partem La-Croixius inclinaret, minime perspicerem. Sed ubi primum ex hoc capite libelli tui La-Croixium Suaresii referre, probabilioremque agnovi vocare sententiam, statim contrariam Sanchesii & Castropalai probare intellexi.

Sed videamus aliud Concinae crimen, erit enim hujus simile. „ Deinde „ expresse imponit, *inqnis*, Patri La- „ Croix, quod doceat, sufficere uni- „ cum testem fide dignum ad jurandum „ extra judicium; cum hoc nusquam di- „ cat ex propria sententia; sed ad omne „ juramentum postulet certitudinem „ moralem. „

Jam constat haec omnia falso abs te dici. Nam La-Croixius, ut demonstravi, non ita probat sententiam, quae *ad omne juramentum* postulat *certitudinem moralem*, quin aliam, quae unum *testem fide dignum* sufficere docet, una probabilem existimet. Deinde ostende, si potes, in hac quaestione locum, ubi Concina „ *expresse*; ut dicis, *imponit P. La-Croix quod doceat sufficere unicum testem fide dignum ad jurandum extra judicium*. Ego tibi unum ostendam, in quo manifeste non

imponit, sed eum, ut antea, aliorum sententiam referre dicit: concludit enim pag. 411. hoc modo: „ Quapropter nos „ opinionem Leandri tamquam falsam „ reiicimus, opinionem vero, quam „ P. La-Croix ex Sanchez, aliisque re- „ fert, ceu improbabilem respuimus. „ Credo, Noceti, sentire te nonnunquam magnitudinem prolapsionum tuarum.

Neque refert, eum paulo post scribere pag. 413. *Recentiores Theologi communiter docent, sufficere unicum testem fide dignum ad jurandum extra judicium, secus in judicio. Sic inquiunt Salmanticenses, Sporer La-Croix, & plures alii, quos ipsi citant*: nihil, inquam, refert, eum ita scribere, quandoquidem constat, hic obiter tantum auctores ejusdem opinionis rursus nominare, neque necesse erat, ut, postquam accurate rem supra explicaverat, rursus hic distincte ageret, & quid cuique tribuendum esset, pluribus explicaret. Sed jam liquet, non hunc locum, in quo La-Croixio hanc opinionem tribuit; sed superiorem, in quo non tribuit, esse corrigendum.

De La-Croxio quinto. LVII. Quod scribis capite XLIII. de eodem La-Croixio est id quidem a me, cum de

de Bussembau epist. 2. num. xxxii. agerem, diligenter, ut arbitror, explicatum. Illud etiam praeterire possem, quod opponis cap. lxvii. Est enim levissimum. Sed quoniam vereor, ne, si quid omittam, id me difficultate rei implicatum omisisse gloriere apud amicos atque studiosos tui, solide quidem tibi, etsi breviter satisfaciam. Concina Tom. 7. pag. 67. in catalogum propositionum, quae nimis *laxae* sunt, hanc refert num. xlv. „ P. Claudius La-Croix „ lib. 3. part. 2. de usura num. 854. Silvius Serra, aliique apud Mendo in statera disp. 6. art. 2. num. 58. docuerunt „ semper esse periculum sortis, quando „ datur mutuum, ideoque ratione periculi semper posse aliquid exigi.

His descriptis, rogitas „ quid sibi „ velit praefigendo illi sententiae nomen „ Patris La-Croix? Vel contendit, Patrem La-Croix solum referre illam opinionem; vel contendit Patrem La-Croix „ illam amplecti, & defendere, aut saltem non impugnare. „ Nihil opus erat ista interrogatione: tibi praesertim, quem nihil latere oportebat eorum, quae Concina in suis voluminibus de tuis scribit Casuistis. Itaque primum contendit, & al-

terum diserte negat pag. 376. ubi hanc propositionem refellit, & eam ne La-Croixio quidem probari demonstrat: quem locum te adiisse, & tamen, ut Concinam in suspicionem calumniae vocares, quam recte in eo de La-Croixio scribat, dissimulasse non arbitror; nam sane parum honeste, & ad veritatem vindicandam accomodate, fecisses; neque ego committam, ut, nisi quid aperte videro, quidquam temere, quod loco injuriae accipere possis, affirmem. Sed tamen hunc locum adeundum tibi fuisse, ut ex eo quid Concina de La-Croixio scriberet, aperte cognosceres, ne tu quidem, opinor, negandum putabis. Itaque ut bonam Concinae fidem, & tuum La-Croixium in tuto positum agnoscas, locum, de quo loquor, exscribam.
„ Eo falsitatis, *inquit*, prolapsi nonnulli
„ sunt, ut illos asserere non puduerit in
„ omni mutuo hoc periculum reperiri.
„ Hoc fatetur vel ipse P. Claudius La-
„ Croix. lib. 3. part. 2. de usura num.
„ 854. Silvius Serra aliique apud Mendo-
„ in statera &c. „ Quid nunc vis tibi?
Ex his facile quivis intelligit, La-Croixium hanc propositionem aversari, & Concinam, cum eam in numerum laxa-
rum

rum referret, usum esse La-Croixio exscriptore.

LVIII. Itaque accedo ad caput libelli tui LXXXVIII., quod item pertinet ad La-Croixium. Hic rem non agis suspicionibus, sed palam & sine ambagibus *evidentis imposturae* Concinam insimulas. Ego quoque confidenter, & sine ambagibus agam, neque tamen condemnabo te eodem crimine. Si qui erunt, qui re cognita, condemnandum putabunt, vehementer dolebo, nihilque omittam, quod ad tui defensionem conducere possit. Recita Concinae locum, qui tibi negotium exhibuit. Tom. 9. pag. 259. „ P. Claudius La-Croix, lib. 6. „ part. 2. num. 898. haec scribit: Probabilius videtur pro absolutione a mortalibus requiri propositum universale „ imposterum cavendi omnia mortalia..... „ deinde quid juvat asserere esse probabiliorem illam sententiam, quando juxta Patrem La-Croix licitum est, sequi „ oppositam minus probabilem?

De La-Croixio sexto.

Haec tibi non placent „ evidens *inquis* est impostura, licitum esse juxta „ Patrem La-Croixium sequi oppositam „ minus probabilem „ Ecquae tandem impostura est? An La-Croixius non est Pro-

Probabilista? Aut non vult Probabilista, cum ex duabus contrariis opinionibus, unam probabiliorem vocat, alteram esse probabilem, & eam cuivis sequi licere? id ego certum perinde existimo, ac centrum paribus intervallis distare a peripheria.

Sed teneo quid opponas, imposturam evidentem esse, „ quia P. La-Croix in „ eo ipsissimo numero citato docet, oppo- „ sitam illam minus probabilem esse pra- „ ctice improbabilem. Sic enim habet: „ *sententiam* (docentem non requiri pro- „ positum illud universale) *non esse pra-* „ *ctice probabilem recte dicit Gormaz* „ *n.* 463. Juxta Probabilistas autem non „ est licitum sequi, quod non est practice „ probabile „ Demus tibi esse quid magnum, & prodesse La-Croixio debere quod addiderit, hanc opinionem non esse practice probabilem. Quid si Concina, La-Croixium hoc addidisse non tacuit? Nunquid erit causae, cur eum omni culpa vocare, te autem, qui illum imposturae accusaris, magno in errore, ne quid gravius dicam, neges esse versatum? Nihil erit, inquies, causae; sed ubinam Concina lectores admonuit La-Croixium dixisse, hanc

hanc opinionem non esse practice probabilem? Hic sane, Noceti, in hac ipsa quaestione tam clare, tamque evidenter, ut credibile non sit, quin tu ipse legeris hanc admonitionem, qua suam adversus La-Croixium disputationem concludit ,, in ,, praxi tamen, subdit, videtur eliciendum ,, formale propositum universale de cavendis omnibus mortalibus ,, Quid nunc censes de Concinae fide, diligentiaque in exponendis Casuistarum opinionibus? Nam de tua nihil amplius dico, nisi, quod facile est existimare, te, aut ea, quae tibi a tuis ex omni Christiana Theologia collecta primum tradita fuerunt, quin antea diligenter expenderes, edidisse; quod tibi tamen, cum de homine innocente gravissimi criminis accusando ageretur, faciendum non erat: aut, quod magis reor, quale sit crimen, quamque pudendum calumnia, & impostura, omnino non intelligere: alioquin non video, qui posses tam facile, tam frequenter, & tum maxime horum criminum Concinam accusare, cum eum diligenter cavisse constat, ne quam tibi, tuis ve occasionem praeberet accusandi sui.

LIX. Atque ut intelligas quanta sit levit as

vitas accusationis tuae, fac, Concinam id omisisse, quod diserte dixit: visam non esse La-Croixio hanc opinionem *practice probabilem*. An idcirco tam magni peccati reus fuisset, ut esset impostor appellandus? Non arbitror: nam licet magni facias tu quidem hanc distinctionem *speculativi & practici*, Concinaeque frequenter opponas; Concina sane non facit; sed eam negligendam putat, & Tom. 9. pag. 201. natam esse putat *ad conciliandas contradictiones, & verborum praelia*: Quo minus mirere, si eam quandoque in Casuistis praeteriisset, opinionesque, quas illi dicerent non esse *practice probabiles*, nihilo secius, ac si id non dicerent, confutasset. Quid autem afferes, quo minus haec distinctio, praeseritim ut a Casuistis usurpatur, in rebus levissimis, & a viro sapiente negligendis sit numeranda? Ego sane epistola 2. num. xxx. Leandro & Tamburino testibus ostendi, Probabilistas, cum hoc dicunt, opinionem *in praxi* non esse sequendam, aut nihil omnino, aut summum id esse pietati magis consentaneum, significare velle: proindeque nihil impedire, quo minus Theologus has opiniones *speculative probabiles* libere confutet. Aut hos duos

duos vehementer erraſse tibi confitendum eſt, aut, ſi id non fateris, illud concedendum, nihil eſse cauſsae, cur huic *diſtinctioni* tantopere confidas. Quid ſi La-Croixium ipſum, ut nunc ex eo, de quo eſt ſermo, tibi reſpondeam, hac de re diſſerentem conſulamus? Nihil hic Caſuiſta magis tibi proderit, quam Leander, aut Tamburinus. Sic enim explicat quid ſit *practice*, quid *ſpeculative* probabile, ut facile appareat, non oportere huic Caſuiſtarum diſtinctioni Theologum acquieſcere, magnique intereſse ad utilitatem Criſtianorum, eas opiniones, quas vocant *ſpeculative probabiles* ex morum Theologia exterminari. Quandiu enim opinio, *habita ratione principii univerſalis, non conſideratis illis, quae cum praxi communiter conjunguntur*, vera eſse, aut probabilis judicatur, difficile ſane non eſt, quin eadem etiam *poſt omnia conſiderata; quae in praxi nata ſunt contingere* (ſic enim explicat lib. 1. n. 115. hanc diſtinctionem La-Croixius) probabilis eſse exiſtimetur. Conditio enim, mores, conſuetudo, ſcrupuli, & id genus alia, facile, ut paulo poſt intelliges, efficere poſſunt, ut id, quod *erat tantum ſpeculative*, etiam *practice* probabile judicetur. Accedit

cedit huc, & eſt tibi diligenter conſiderandum, quod plerumque falſae ſunt, minimeque ferendae hae opiniones, quae nihilo ſecius ut probabiles venditantur. Innumerabiles proferre poſsem, ſit tamen haec, qua de agimus, exemplo. Ecquid enim minus ferendum, quam, *habita ratione principii univerſalis*, probabile, ut hic docet La-Croixius, eſſe, non requiri propoſitum quodcumque vitandi grave peccatum? Quale tandem hoc eſt univerſale principium, quo ſolum attento, ferri poteſt, hominem accedere ad exomologeſim faciendam, quin aliquod turpe, quod amat, ſtatuat ſibi eſſe vitandum? Atque hoc eſt, quod praeſertim Concina oppugnat, ſcilicet id dici probabile, quod *habita ratione principii univerſalis*, manifeſtus eſt error: ſic enim, cum dixiſſet de ceteris, quos hic refellit, ad La-Croixium arguendum accedit „ Similiter opinio-
„ nem P. La-Croix, ut falſam rejicio,
„ quatenus aſſerit, probabilius videri, re-
„ quiri propoſitum univerſale vitandi om-
„ nia peccata mortalia. Non probabilius,
„ ſed certum eſt, requiri propoſitum
„ univerſale abſtinendi ab omnibus, &
„ ſingulis culpis letalibus. Porro, cum
P. La-

„ P. La-roix asserat solum probabilius
„ videri necessarium esse propositum istud,
„ juxta ejusdem principia sequitur, pro-
„ babilem, licet minus, esse opinionem
„ contrariam, quae aperte falsa & laxa
„ est, ut mitissime loquar. Nam si proba-
„ bile est, propositum non esse universale,
„ ergo probabile est poenitentem posse
„ conservare affectum erga hoc aut illud
„ peccatum: & en manifestum errorem.

LX. Sed jam alteram hujus *evidentis imposturae* causam videamus „ secundo, „ *inquis*, quia versamur in materia per- „ tinente ex parte suscipientis ad valo- „ rem sacramenti, agimus enim de Pro- „ posito. Porro P. La-Croix apertissime, „ & omnino universaliter docet, esse pec- „ catum mortale sequi sententiam proba- „ bilem relicta tutiori in iis, quae per- „ tinent ad valorem tum in collatione, „ tum in susceptione Sacramentorum.

Secundum haec locum unum, & alterum ex La-Croixio describis, quibus efficias, eum in hac sententia esse versatum. Laudo, magisque laudarem nisi pedem quandoque referret, quasi poeniteret eum doctrinae suae. Docet enim, fateor, ea, quae tutior est, in conficiendis susci-

pien-

piendisve Sacramentis utendum esse sententia; sed simul comminiscitur, id esse tenendum, nisi *administratio vel susceptio Sacramenti obnoxia* reddatur *nimiis scrupulis & difficultatibus*; quasi usu venire possit, ut si id, quod tutum est, in Sacramentis suscipiendis, aut conficiendis teneamus, scrupuli nobis iniciantur, qui non possint ex animo evelli, nisi sententia, quae tutior est, relinquatur. Sed dices: ita forte differit de insulsa quapiam, nimiumque absurda sententia, quo minus ad hanc de proposito & ad multas similes ejus doctrina pertineat. Utinam ita esset, ut dicis; sed ita differit La-Croixius cum l.iv. part. 2. num. 874. solvere nititur argumentum, quo maximè premuntur defensores *Attritionis*, cum iis objicitur damnata propositio: *non est illicitum in Sacramentis &c.* ait enim: „ quamvis conce-„ deremus sententiam adversariorum esse „ probabilem (homo totus ex probabilitate compositus vix, ac ne vix quidem concedere potest, ortam cum Christi Religione de amore Dei sententiam esse probabilem) „ tamen non esset obligatio se-„ quendi eam sententiam, per quam admi-„ nistratio, vel susceptio Sacramenti fit „ obno-

„ obnoxia nimiis ſcrupulis, & difficulta-
„ tibus; atqui per ſententiam adverſa-
„ riorum adminiſtratio vel ſuſceptio Sa-
„ cramenti poenitentiae fit obnoxia ni-
„ miis ſcrupulis & difficultatibus.

Nunc mea non intereſt, Noceti, quemadmodum iſta refelli poſſint. Unum ex te quaero, cur, ſi potuit La-Croixius tot ſcrupulos & difficultates ex ea ſententia gigni putare, quae dolorem poſtulat ex aliquo erga Deum amore profectum; non poſſint alii ex ea, quæ propoſitum requirit quodvis grave peccatum vitandi, eadem incommoda naſci exiſtimare, praeſertim cum oportet animum ab iis rebus divellere, quarum amor eſt inveteratus: ex quo ſit conſequens, hanc quoque ſententiam eſſe relinquendam, eamque ſequendam, quae negat hoc propoſitum eſſe neceſſarium? Id ſi feceris, Noceti, ut intelligam, erit mihi abs te plane ſatis factum; non tamen impetrabis, fuiſſe Concinam arguendum calumniae.

LXI. Nam recte doceat, ſi ita vis, La-Croixius, eam ſententiam, quae tutior eſt, in Sacramentis conficiendis, aut ſuſcipiendis omnino eſse retinendam. Quid tum? Num hic meminit hujus doctrinae?

Nihil minus. Hanc *ſententiam*, inquit, *non eſse practice probabilem recte dicit Gormaz*. At hic oportebat, La-Croixium reminiſci doctrinæ ſuæ, &, miſso Gormazio obſcuro Caſuiſta, monere lectorem, hanc opinionem ad Sacramentum Poenitentiae pertinere, proindeque fruſtra quaeri, aut quidquam ſtatui de ejus probabilitate. Et ſane cupio videre, cur Concina ad hanc La-Croixii doctrinam reſpicere deberet, La-Croixius ipſe non deberet.

At ſatis eſt, inquies, La-Croixium uno loco ita docuiſſe. Huc te cupide expectabam. Ergo plus quam ſatis erit, Concinam duobus in locis, La-Croixium ita docere non tacuiſſe. An is Tom. 9. pag. 201. & Tom. 10. pag. 384. & 385. non diſerte monet, La-Croixium *improbare uſum opinionis probabilis dum agitur de valore Sacramenti, etiam reſpectu eorum, quae ſunt juris eccleſiaſtici*? Iniqua nimis, pace tua dixerim, eſt iſta tua agendi ratio, ut La-Croixio, quod ſemel ſcripſit, ſemper prodeſſe velis, Concinam, qui idem bis ſcripſit, quaſi omiſerit, accuſes calumniae.

De La-Croixio ſeptimo. LXII. Cogitabam ea, quae cap. xcv. de

de La-Croixio opponis, in pauca conferre; sed quia nimis acrem sine causa esse animadverti adversus Concinam orationem tuam; te ipsum autem, & La-Croixium, quem defendis, in magno errore versari, nolui quidquam praeterire, ex quo lectores accusatorum Concinae ingenium possint agnoscere. Scribis igitur hoc modo loco cit. „ P. Concina Tom. 10. „ pag. 72. sic habet in titulo Capitis un„ decimi.

„ *A quibus praesertim rebus abstinere clerici debeant ratione sui status. „ Laxae P. La-Croix opiniones refelluntur.*

„ Deinde pag. 73. sic incipit referre, & refellere laxas opiniones P. La„ Croix.

„ *Utrum negotiatio Clericis sit interdicta? ...... Casuistae plures excogitarunt opiniones, quas omnes more suo „ colligit P. La-Croix lib. 3. p. 2. n. 997. „ & sequentibus. Et primo asserit, Clericum posse emere aliquid, ut consumat; & si postea pretium illius crescat, „ vendere potest, sperans se vilius emptu„ rum. Est enim actus oeconomicae pru„ dentiae. Sub istius oeconomicae pruden-*

 tiae

„ *tiae palliore ipſa Clerici negotiantur.*

„ Pater Concina refert verum, ſed „ non refert totum; & illud occultat; „ quod cedit in maximam utilitatem Pa- „ tris La-Croix. Ego autem revelabo, „ ut lectores videant tum artificium „ P. Concinae, tum cujuſmodi ſint, & „ quibus auctoribus muniantur ſenten- „ tiae, quas in libris Jeſuitarum ſtatim „ notat ut laxas. En textus integer „ P. La-Croix.

„ *Licitum eſt omnibus emere cum „ animo vendendi ſine lucro, quia non eſt „ prohibita negotiatio, niſi fiat cauſa lu- „ cri, uti habetur cap. ſecundo ne Clerici „ vel Monachi. Unde ſi Clericus emerit „ aliquid, ut conſumat, & poſtea pretium „ illius creſcat, vendere poteſt, ſperans ſe „ vilius empturum. Eſt enim actus aeco- „ nomicae prudentiae. S. Thomas, Moli- „ na, Sa, Layman, Caſtropalao, Lugo.*

„ Quaero: cur P. Concina ſuppreſ- „ ſit citationem S. Thomae? Parum ne „ facit ad imminuendam invidiam Patris „ La-Croix habere S. Thomam auctorem „ doctrinae ſuae? & re ipſa illam tradit „ Angelicus 2. 2. quaeſt. 74. artic. 4. ad „ 2. his verbis.

„ *Ad*

„ *Ad secundum dicendum, quod non*
„ *quicumque carius vendit aliquid, quod*
„ *emerit, negotiatur. Sed solum, qui ad*
„ *hoc emit, ut carius vendat. Si autem*
„ *emerit rem non ut uendat, sed ut te-*
„ *neat, & postmodum propter aliquam*
„ *causam eam vendere velit, non est nego-*
„ *tiatio, quamvis carius vendat. Ptesto*
„ *enim hoc licite facere, vel quia in ali-*
„ *quo rem melioravit*, vel quia pretium
„ rei est mutatum secundum diversitatem
„ loci, vel temporis.

„ Et tamen haec doctrina, quae
„ S. Thoma erat verissima, in libro
„ P. La-Croix tamquam circaeo venefi-
„ cio facta est repente laxa.

Patere modo, Noceti, ut, quoniam tam accurate patefecisti Concinae artificium, ego quoque tuum, & La-Croixii errorem patefaciam; novumque lectoribus argumentum praebeam diligentiae Casuistarum cum D. Thomam laudant in subsidium suarum opinionum. Nam ne per somnium quidem docet D. Thomas quod de Clericis scribit La-Croixius. Regusta, quando tibi tantopere placuit, illud testimonium, & exprome ex eo, si potis es, verbum, quo significet, decere Clericos

illam venditionem. Nam quae cudi voluisti magnis caracteribus, ut infigeres in oculos lectorum Concinae artificium: *pretium rei est mutatnm secundum diversitatem loci vel temporis*, perinde probant La-Croixii sententiae D. Thomam esse fautorem, atque illud Virgilii: *arma virumque cano &c.* At docet, inquies, D. Thomas, eam venditionem injustam non esse, neque ad negotiationem pertinere. Fateor, ita docet. Licebit igitur, inquies iterum, Clericis ita vendere. Liceat, si ita vis; sed hoc tuum est, Molinae & La-Croixii est, D. Thomae non est. Ubi Clericos nominat D. Thomas? ubi eos dicit ita vendere posse? An, si docet illam venditionem non esse injustam, non sunt Patres familias, coqui, lanii, sutores, & alii Ecclesiae ministerio non addicti, quibus liceat has vendendi, & emendi captare opportunitates?

Pertineat tamen ad Clericos doctrina D. Thomae, non recuso: dum tamen ad eos hanc La-Croixii pertinere, vel esse D. Thomae ne dicas. Et sane tibi, qui alium accusas, considerandum erat, eum, quod recte docuit D. Thomas, foede corrumpere, aut illi suam, quae falsa est, opinio-

opinionem tribuere. Docet enim D. Thomas, quominus illa venditio ad negotiationem pertineat, causam aliquam esse oportere, cur id, quod emptum primo ad usum fuit, postea vendatur: *Qui emerit*, inquit, *rem non ut vendat, sed ut teneat, & postmodum propter* aliquam causam *eam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat*. Quid La-Croixius? Hanc causam spem esse interpetratur, id, quod venditur, minoris emendi; & postquam statuit, posse Clericum id, quod emit, ut sibi esset usui, postea vendere, si speret, idem *se vilius empturum*, confidenter addit: ita D. Thomas. At qua diligentia, amabo te, ne dicam fide? Ubinam D. Thomas hanc causam memorat? Ubi docet, spem, aut studium faciendi lucri causam esse satis justam, cur Clericis pluris, quam emerunt, vendere liceat? Id ille ne negotiatoribus quidem, ne dum Clericis permittit. Nam ea, quam hic requirit, vendendi causa esse posset, inquit Silvius, si aliqua necessitas premeret, aut si is, qui emit, id, quod emit, non amplius sibi necessarium putaret. Atque hoc modo ferri potest, doctrinam D. Thomae, ut fecit Sil-

vius, ad Clericos transferri; quod docet La-Croixius ferri non potest, La-Croixii est, D. Thomae non est.

LXIV. Nunc paucis te volo, Noceti. Tu es ille vir, qui tibi vindicis veritatis imposita persona, tam facile ob verbum *invexit*, ob voces inanes *speculativi & practici*, ob aliasque ejusmodi causas Concinam accusas imposturae, ad eamque inspiciendam & contemplandam lectores mirabundus invitas? Attulisti ne hactenus Concinae erratum huic tuo & La-Croixii simile? Eccuinam Casuistae tam aperte tribuit ille aliquam opinionem, atque egregio Ecclesiae Doctori tribuitur hoc loco abs te, & La-Croixio? Quos ederes gemitus & clamores, si quid ille tale peccasset in Vasquesio aut Svaresio refellendo, cum sine causa tam magnos edas pro Tamburino, Amico, Gobato, Sanchesio; & Mojam ipsum damnatissimum Casuistam, ceteris, quos defenderes, annumerandum putaris? Itaque, his perspectis, ne gravere tollere ex hoc loco La-Croixii Divum Thomam, ut vere lectores intelligant, *tum Concinae artificium*, qui non facile fidem adhibuit Casuistae D. Thomam laudanti; *tum cujusmodi*

modi sint, & quibus auctoribus muniantur sententiae, quas in libris Jesuitarum statim notat ut laxas. Non *laxam* ille, ut id obiter dicam, appellavit hanc La-Croixii propositionem; quamvis enim initio capitis aliquot ejus *laxas* opiniones referre se dicat, quale tamen ferat de unaquaque judicium ex eo sumi convenit, quod singulas refellendo pronunciat. Hanc autem ita reijcit: „ Sub istius Oeconomi-
„ cae prudentiae pallio re ipsa Clerici
„ negotiantur. Prudentia haec oecono-
„ mica & mundana filiis hujus saeculi, seu
„ laicis hominibus consentanea, secus
„ Sacerdotibus Deo militantibus. „
Hoc tibi judicium, cujusque sit modi, non placet. Ne mihi quidem. Nam propositio La-Croixii omnino inanis est; neque mihi videtur Oeconomicae prudentiae opus esse pallio, ut Clerici ex ea negotiari dicantur.

Sed dices, scribere La-Croixium loc. cit. *non est prohibita negotiatio, nisi fiat causa lucri*. Quid illi facias? pugnantia loquitur. Nam certe qui id, quod emit, eo vendit, quod speret, se idem *vilius empturum*, lucri caussa vendit.

LXV. Alia multa in hoc capite dispu-

tas

tas pro La-Croixio, contraque Chriſtianam Theologiam, de quibus cauſam non video, cur tibi reſpondeam, praeſertim quod pleraque jam confutarim. Unum praeterire nolo, quod probare te dicis prudentiam La-Croixii, qui l. v. n. 1542., ut ipſe refers pag. libelli tui 272., propoſitis hinc inde Caſuiſtarum ſententiis, nullum ſe dicit interponere judicium ob eam cauſam, quod quid verum, quid probabilius ſit non facile ſit invenire. At ego non video, cur tanti facias hanc La-Croixii, & ceterorum Probabiliſtarum modeſtiam, qui cum tam diligenter caveant, ne quam legi congruentem ſententiam veram eſſe pronuncient, ne ſeſe, ut ajunt, exponant errandi periculo; tum incredibili facilitate tot alias, quae libertati ſunt accomodatae, legibuſque divinis adverſantur, quin ullum timeant errandi periculum, probabiles appellant. An forte facilius eſt, minuſque obnoxium errandi periculo, quam plurimas, quae libertati favent, probabiles; quam eas, quae legi ſunt congruentes, veras, ut plerumque ſunt, eſſe ſtatuere? Ita quidem ipſi exiſtimant, aut venditandae prudentiae cauſſa videri volunt exiſtimare. At mihi ſae-

pe

pe numero & difficilius, & majoris esse periculi persuasum est. Ecce tibi La-Croixium (hoc exemplo significantius, quod volo, dicam) disputantem, ut supra vidimus, an homini, qui exomologesim facit, propositum generatim esse debeat quodlibet vitare, quin ullum excipiat, grave peccatum? Ecquae tandem erit temeritas, sententiam ajentem, missis ambagibus, veram esse dicere? Quae non erit, si quis tantum probabiliorem, negantemque cum La-Croixio velit esse probabilem? Nisi longum esset de singulis ita disserere, magnum numerum inveniremus, in quibus non possent Probabilistae suam viris doctis probare modestiam.

LXVI. Unum restat de La-Croixio, quod conficis cap.xcix. Nam quod opponis cap. cv. fuit a me epistola 1. num. xxxi. & xxxii. diligenter explicatum. Est autem, quod restat, hujusmodi. La-Croixius lib. 3. part. 1. num. 90. „ Si Cajus, *inquit*, det pecuniam Titio, ut Titius in„ tercedat apud Sempronium, ut Sempro„ nius intercedat apud Collatorem pro „ beneficio conferendo Cajo, aliqui apud „ Dianam part. 4. t. 4. R. 151. & ite- *De La-Croixio octavo.*

rum

„ rum alii part. 11. t. 6. R. 31. cen-
„ ſent non eſſe ſimoniam: Sed longe plu-
„ res, quos citant & ſequuntur Caſtrop.
„ t. 17. d. 3. pag. 11. num. 4. Steph.
„ d. 11. n. 39..... longe probabilius af-
„ firmant eſſe, quae ſententia omnino te-
„ nenda eſt &c.
„ „ §. 13. num. 91. Dare pecuniam, non
„ pro interceſſione, ſed pro labore in
„ eundo, & redeundo ad Collatorem, aut
„ pro damno ideo cauſato, vel pro lucro
„ ceſſante, aut pro diſpendio temporis,
„ quod ad intercedendum conſumitur, &
„ in quo negligitur utilitas alioquin ob-
„ ventura, non eſt ſimonia, uti habet com-
„ munis apud Dianam. p. 10. tr. 15. R. 5...

Adverſus hanc La-Croixii doctrinam diſputat auctor Theologiae Chriſtianae Tom. 10. pag. 113. hoc modo „ P. Clau-
„ dius La-Croix lib. 3. num. 90. adfir-
„ mat, quod probabilius ſit, eſſe ſimo-
„ niam contra Dianam, dum pecuniam
„ praebes Titio, ut is intercedat apud
„ Sempronium, ut poſtea Sempronius in-
„ tercedat apud collatorem: quia pre-
„ tium ſaltem mediate datur pro benefi-
„ cio. Verum continuo ſubdit, non eſſe
„ ſimoniam ſi des pro labore. Cujus la-

xam

„ xam opinionem tranſcribit de more „ P. Nicolaus Mazzotta tract. 3. diſp. v. „ cap. III. pag. 235. *Si autem des aliquid* „ *interceſsori ſive mediato ſive immediato, non quidem pro interceſſione, ſed* „ *pro labore, lucro ceſsante, damno emergente, diſpendio temporis &c. in eundo* „ *& redeundo non eſt ſimonia: quia ipſa* „ *ſunt quid temporale omnino extrinſecum. Croix num. 9. & alii communiter* „ &c. Revera Croix totidem verbis hanc „ laxam opinionem docet cum Diana, Caſtropalao, Raynaudo, & aliis. Iſtius opinionis laxitas evidens eſt. Tradere pecuniam pro interceſſione apud Collatorem beneficii ſimoniam eſſe fatentur. „ Tradere vero pecuniam pro tempore „ impedendo in loquendo, in intercedendo, pro lucro ceſſante, & damno emergente, in eundo & in redeundo, non eſt „ ſimonia? Cur? Quia haec ſunt quid temporale omnino extrinſecum. Itane vero? Fieri ergo poteſt interceſſio *ſine aliquo temporis diſpendio, ſine acceſſu & receſſu a Collatore*? Si quis intercedere debet, loquatur oportet. Mutus ne interceſſor? Per nutus & ſigna intercedet? At „ & iſta, ut fiant, temporis intervallum, acceſ-

„ accessum, & recessum postulant. Tam
„ ridicularia paradoxa refellere cogor?
„ Quis tam stultus, qui non dicat, pecu-
„ niam se tradere, non pro intercessione,
„ sed pro tempore, quod insumere inter-
„ cessor debet in loquendo, in eundo, &
„ redeundo? Lepida haec, & venusta
„ mihi videntur commenta, nec dubito,
„ quin talia apparere aliis debeant.

Hactenus ille contra doctrinam La-Croixii. Nunc te audiamus pro La-Croixio disputantem, atque in verbis Concinae imposturas perquirentem.

„ P. Concina, *inquis*, ita dipingit doctri-
„ nam P. Ca-Croix, ut appareat Lectori-
„ bus, istum loqui de accessu, & recessu,
„ de dispendio temporis, & de allocutio-
„ ne intrinsece, & per se necessariis ad in-
„ tercessionem; sive sine quibus nulla
„ umquam intercessio haberi potest.....

„ Atqui istae merae sunt imposturae.
„ P. La Croix, non est ita bardus, & sto-
„ lidus, ut ignoret, intercessionem fieri
„ non posse, quin intercessor loco se mo-
„ veat, ut eat & redeat a *Collatore*; &
„ quin insumat aliquod tempus in eundo,
„ & redeundo, & aliquod tempus atque
„ aliquem oris spiritum in alloquendo

Col-

„ Collatorem. Neque eſt ita inſipiens, „ ut doceat, poſse tradi, vel accipi pecu- „ niam pro iſtis motu, tempore, & allo- „ cutione intrinſece, & per ſe neceſsariis „ ad interceſſionem.

„ Sed loquitur de itinere laborioſo, „ de itinere repetito ad Collatorem. Ne- „ que enim dicit, *eundo, & redeundo a Col-* „ *latore*, ut ſcribit P. Concina, quibus „ verbis ſignificatur *merus receſsus poſt* „ *acceſsum*; ſed dicit, *eundo, & redeun-* „ *do ad Collatorem*, quibus ſignificatur „ *repetitus acceſsus*.

LXVII. Permitto tibi, Noceti, ferri aliquorum Probabiliſtarum ſententiam poſse, quae, ſi major ſit labor, qui in officio apud Collatorem beneficii obeundo ſuſcipitur, quam officium poſtulet, licere; ſi ſit mediocris, aut tantus, quantus ad officium exequendum neceſsario requiritur, non licere ſtatuit quicquam pecuniae pro parto beneficio dare vel accipere: permitto, inquam, tibi hanc diſtinguendi rationem; non enim eſt otium de omnibus dicere. Illud miror, quod velis, ea uſum eſse La-Croixium, Concinamque eo nomine impoſturae condemnandum putaris, quod La-Croixium, de

de *itinere laborioso*, & de itinere *repetito ad Collatorem* non animadverterit esse locutum. Hoc enim tibi ipsi, quod te vidisse reor, tam difficile fuit ex La-Croixii verbis elicere, ut quamvis magnopere sis conatus, nullo modo elicere potueris, argumentationemque confeceris, quam nemini, qui latine sciat, unquam sis probaturus. Quid ais his Concinae verbis: *eundo & redeundo a Collatore* significari? semel conventum Collatorem nonne? sic enim inquis: *significatur merus recessus post accessum*. Recte interpretare. At quid his aliis La-Croixii verbis: *eundo & redeundo ad Collatorem* significari dicis? Unde colligis pro *itinere laborioso*, ut scribis pag. 291. *& saepius repetito* haec accipi debere? Noli tam cito abjicere illam tuam interpretandi diligentiam. Sunt enim eadem verba, quae bis conventum significant Collatorem, & nullo modo *pro itinere saepius repetito* sunt accipienda. Et sane scire velim, qua regula grammatices, postquam itu, reditu que *a Collatore* semel eum conventum significari dixisti, tum statim oblitus significationis verborum, itu, redituque *ad Collatorem* pluries eum, quam bis Conventum significari volueris.

Pla-

Plane dico, ut intelligas, Noceti; ire & redire ad Collatorem nihil aliud, quam bis eum convenire significat. Quare illud restat, si innoxium La-Croixium, & Concinam vis esse convictum imposturae, ut, semel Collatore convento, non esse; bis convento, esse velis causam satis justam dandae accipiendaeque pecuniae. Quid ais? Te tam insulse non opinari? Credo equidem. Verum tamen tibi, aut hoc insulsum concedendum est, aut ex tuo libello merae imposturae quantocius tollendae.

Quam rem ut libentius facias, aliud argumentum dabo, & ostendam tibi, ne si bis quidem Collatore convento, liceret, semel, non liceret pecuniam dare atque accipere, Concinam reum dici posse imposturae. Non minus enim ab eo, qui scribit: *eundo & redeundo a Collatore*, quam a Mazzotta, qui scribit, *eundo & redeundo*, quin aliud adjungat, significatur, ut tu quidem loquere, *merus recessus post accessum*. Ne nega: nihil enim invenies, etiamsi Alvarum, & omnia lexica sus, deque agas, quod his verbis, *eundo & redeundo*, significari possit, nisi quod his aliis *eundo & redeundo a Collatore* signifi-

ficatur, itionem & reditionem. Quare aut Mazzotta, qui referens La-Croixii sententiam, & hanc causam exponens dandae & accipiendae pecuniae, simpliciter scripsit, ut dixi, *eundo & redeundo* La-Croixii sententiam corrupisse, & reus imposturae dicendus erat; aut Concina, qui hujus Mazzottae verbis La-Croixii sententiam retulit, dicendus non erat.

LXVIII. Videre te puto, Noceti, non fuisse tibi adversus Concinam his argutiis agendum, quem rebus perspicuis & facti evidentia pollicitus eras imposturae convincere. Ubi sunt illae tuorum Casuistarum tam aperte a Concina depravatae sententiae, ut eas *lectores minima mentis intentione*, *atque uno quasi oculorum conjectu*, sic enim scribis in praefat.pag 5. agnoscere posent? Ubi sunt illa argumenta, quibus si Concina respondisset, *consueta diverticula*, *mordaces declamationes*, *scommata*, *ultrices satyras*, expectabas; *responsiones ad rem* non expectabas? Tu vero Noceti non declamationes, non scommata, non satyras, cujusmodi scriptiones nunquam a Nobis profectae sunt, sed aliquem Dominicanum expectare debueras, qui te, quid *eundo & redeundo ad*
Col-

Collatorem significaret, amanter, ut ego feci, edoceret. Quando enim nihil aliud objecisti, nisi Concinam, eundo & redeundo *a Collatore*; La-Croixium, eundo & redeundo *ad Collatorem* scripsisse, Dictionario, non satyris opus erat, ut tibi, quid utriusque scriptione significaretur, exponeremus. Et mihi sane nihil longius videtur, quam ut intelligam, quid sit, quod tibi pro te ipso respondendum putes. Nam si dices: *eundo & redeundo ad Collatorem*, modum esse loquendi, quo Casuistae itionem, reditionemque significant ad Collatorem saepe repetitam; rationibus tuis securim injicies, neque caussam afferre poteris, cur *eundo & redeundo a Collatore* eamdem vim, significationemque habere non possit.

LXIX. Perge modo, atque absolve accusationem tuam: „ Praeterea non
„ loquitur de quocumque dispendio temporis; sed de dispendio, quod afferat damnum intercessori, quia privat illum aliqua utilitate non purè possibili, sed quam revera tunc perciperet, si eo tempore in alia opera incumberet, a quibus abstinere cogitur in ejus gratiam, pro quo saepe redit ad Collatorem. „ Il-

lud *saepe*, ut dixi, tuum est, contraque tuam interpretandi diligentiam introductum. Ad cetera quod attinet, fuerunt a Concina diligenter expresſa, ſic, ut nihil amplius deſiderare poſſit vindex veritatis.
„ Tradere pecuniam, *inquit*, pro tem-
„ pore impedendo in loquendo, in inter-
„ cedendo, pro lucro ceſsante, pro damno
„ emergente, in eundo, & in redeundo „
Ecce tibi tempus, lucrum ceſsans, damnum emergens, itum, reditum, locutiones, preces; omnia, quae vis, praeter impoſturam.

At La-Croixius, inquies, haec omnia magna eſse vult, ut juſta ſit cauſa aliquid dandi & accipiendi. Falleris: neque magna, neque parva requirit; ſed modicum, ſi tenuja, multum, ſi magna ſint officia, dandum eſse decernit. Ait enim poſt verba, quae recitavi ſupra: „ plus tamen dari
„ non debet quam ſit labor vel damnum.
„ Si plus detur v. g. centum aurei, cum
„ labor eſset dignus tantum denis, ple-
„ rique cum Lugo in Reſpon. lib. *6*. d. 4.
„ num. 4. cenſent fore ſimoniam. Rodri-
„ guez tamen & alii dicunt, quod plus eſt
„ cenſendum dari gratis. Sed Diana
„ part. *6*. num. 7. quaeſt. 42. & alii dicunt
hoc

„ hoc ultimum in praxi non esse amplectendum. Lugo supra dicit, si protesteris, & sincere ita sentias, nempe quod pro labore velis dare decem, sive beneficium obtineas, sive non, & cum scias, quid deceat gratum hominem, te dicere posse, quod habeas animum, etiam donandi reliquum, sed nolle ullam de eo obligationem suscipere.

Miror autem hanc te particulam hujus orationis La-Croixii: *plus tamen dari non debet quam sit labor vel damnum*; Sic interpretari „ En vobis lectores in his duabus postremis vocibus tota sententia P. La-Croix & aliorum. Potest sine simonia aliquid tradi, non pro illis ridiculariis titulis confictis in sua amplificatione a P. Concina, sed pro labore in repetendis pluribus itineribus ad Collatorem, qui tamen tantus sit, ut censeatur aestimabilis pretio, vel pro damno inde secuto: „ miror, inquam, te illa verba sic interpretari, nihil enim tale significant, sed id, quod dixi supra, non plus esse tribuendum, quam quod labori respondet; ita ut, semel Collatore convento, nonnihil; bis, aut ter convento, paulo amplius, tribuatur.

 Quod

Quod quidem recte congruit cum reliqua ejus oratione, quam descripsi, & abs te praetermissa est, ne integra ejus sententia lectoribus patefieret. Declarat enim, non aureos centum, cum decem, aut ducentos, cum centum labori debentur, esse tribuendos; quin tamen, quod a vindice veritatis occultandum non erat, rejiciat id, quod Rodriguez, & Lugo de nonaginta aureorum, cum decem labori satisfieret, & centum tribuuntur, donatione comminiscuntur. Ubi loquitur igitur La-Croixius, vel ex quibus ejus verbis colligis, eum loqui *de labore in repetendis pluribus itineribus ad Collatorem*? De hoc labore, Noceti, de pluribus itineribus tu loquere saepe quidem & multum, at La-Croixius nunquam: proindeque ne illud quidem efficere potes, quod rei caput est, eum de *extrinsecis & accidentariis intercessioni* esse locutum. Quod quia tibi persuasum esse volo, explicate scribam. Dici non potest La-Croixius de *extrinsecis & accidentariis intercessioni* esse locutus, nisi sit locutus *de labore in repetendis pluribus itineribus ad Collatorem*; ex hoc enim, quod postremum posui, tu quoque illud primum concludere conaris; atqui nunquam efficies,

cies, eum de labore *in repetendis pluribus itineribus ad Collatorem* esse locutum: igitur ne illud quidem efficies, locutum esse *de extrinsecis & accidentariis intercessioni*.

Huc accedit, quod semel etiam Collatore convento nonnihil, ut dixi paulo ante, ex tua & La-Croixii sententia tribuere, vel accipere licet. Ne nega: praeter enim quam quod id congruit cum La-Croixii oratione, Navarrus ipse, quem laudas, & Concinae opponis p. 292. satis ostendit, neque novum id esse, neque inauditum inter hujus sententiae defensores. Namque adverte animum ad ea, quae loc. cit. tu ipse ex eo protulisti: „ nisi daretur quod deceret pro labore, „ quem suscipit *in semel*, vel frequen- „ ter adeundo Collatorem, & redeundo „ ab eo. „ Si Navarrum non probas, cur laudas? si laudas, & vis cum eo consentientem esse La-Croixium, quorsum attinet *de extrinsecis, & accidentariis intercessioni* hic injicere mentionem? An potest id negotii suscipi, quin semel saltem adeatur ad Collatorem; aut, cum semel Collator est conveniendus, labor suscipitur, qui ad rem, quae geritur, non sit affixus?

fixus? Restat igitur, nihil exagerasse Concinam, neque plena imposturarum, ut tibi loqui placet, usum esse oratione cum ita La-Croixium confutavit. „ Ita ne
„ vero? fieri ne potest intercessio sine
„ aliquo temporis dispendio, sine accessu
„ & recessu a Collatore? si quis interce-
„ dere debet loquatur oportet &c. „

LXX. Post Concinae accusationem, pergis ad hanc ipsam opinionem confirmandam: & primum demostrandum tibi sumis, eam a Navarro, Suaresio, Raynaudo, Filliuccio, Lessio, Bonacina esse defensam: deinde parum idoneis argumentis & auctoritatibus a Concina oppugnari: denique dogma nuperum & novitium, quod qui defenderit, Scriptorem non profers Navarro antiquiorem, sententiam *communissimam* esse pronuncias.

Quae res, quoniam ad imposturae crimen non pertinent, & quo loco habendae sint ex iis, quae diximus, satis colligi potest, libenter a me praetereuntur. Demus tamen, ita esse, ut dicis, & hanc sententiam fuisse a Concina parum solida ratione confutatam, quid est, quod velis, ut ex ea Lectores judicium de ceteris faciant, quae in Christiana Theologia

con-

continentur? An nullae sunt, in toto Vasquesio ex. caus., vel in Svaresio parum firmae, neque satis recte constitntae sententiae? Aut recte eum facturum putas, qui ex his de ceteris vellet judicium fieri? Quasi vero accidere non possit, ut qui de universa sive Scholastica, sive morali Theologia scripsit, quaestionem unam vel alteram obiter attigerit, atque adeo non omnia protulerit, quae ad eam vel confirmandam, vel refellendam essent idonea. Quae sane non eo dico, quasi tibi concedam, Concinam in singulis partibus pertractandis pari diligentia non esse versatum; sed ut intelligas, tantam ab uno expectari non posse diligentiam, quanta requiritur ad omnes omnino opiniones, quibus morum Theologia contaminata est, funditus evertendas; sic, ut nullus Casuistis, & Casuistarum amatoribus relinquatur locus cavillandi, quo minus aut circuitione verborum, aut distinctionum, quibus abundant, involucro pergant, si velint, suas opiniones sustinere.

Multum ille praestitit his 12, quae defendo, & aliis ad utilitatem Christianorum scriptis voluminibus, in quibus bene multas labefactavit Casuistarum opiniones,

nes, lectoremque docilem & attentum eo perducit, ut tandem periculosum putet haerere Probabilismo. Sed non deerunt, ut spero, alii Dominicani, qui respicientes sese, quibusque majoribus gloriari debent, reminiscentes, eorum dissimiles esse nolint, incitatique studio, quo prisci illi insigniter ardebant, tuendi veri, & doctrinae Christi conservandae, quod reliquum est, diligenter praestare curabunt. Hi quae Concina omisit, aut obiter, ut omnia attingeret, tractavit, aut etiam, quod ipse, sibi accidere potuisse, ingenue professus est, minus accurate disseruit, facile supplebunt, corrigent, emendabunt, neque sinent quidquam a studiosis Theologiae morum desiderari. Vale.